

1701





К 19 Р. 5

Міхаєль Бернад Валентіні

Трактат з судової медицини

1701

М

Р

ІН

Р

64225

MICHAELIS BERNHARDI
VALENTINI

Prof. Med.

DECLAMATIONUM
PANEGRICARUM

Δ Ε Κ Α Σ


Scilicet

- | | |
|---|---|
| I. <i>De Medico Physico.</i> | VI. <i>Abdicatio Muneris Rector.</i> |
| II. <i>De Legibus Artis & Naturæ.</i> | VII. <i>De Hassiæ literatæ Fatis</i> |
| III. <i>De Periodis Morborum.</i> | VIII. <i>De Ortu & Progre. Phil. Exper.</i> |
| IV. <i>De Fastidiis Rectorum.</i> | IX. <i>In obitum B.D. Schefferi.</i> |
| V. <i>De Medicina Illegali.</i> | X. <i>In obitum B.D. Allmacheri.</i> |

Quæ,

UT IN SOLENNIBUS
Actibus Academicis,

Gissæ Hassorum, ab Authore, pro
concione habitæ sunt, nunc suasu Dominorum
Collegarum luci publicæ creduntur.



FRANCOFURTI AD MOENUM.

Sumptibus JOHANNIS DAVIDIS ZUNNERI.

MDCCL.

REINHARDT

W. A. F. T. T. T.

REINHARDT

W. A. F. T. T. T.

REINHARDT

REINHARDT

W. A. F. T. T. T.

REINHARDT

W. A. F. T. T. T.

REINHARDT

W. A. F. T. T. T.

SERENISSIMO ac CELSISSIMO
PRINCIPI & DOMINO
DOMINO

ERNESTO
LUDOVICO,

D. G.

HASSIAE LANDGRAVIO,
PRINCIPI HERSFELDIAE, COMITI IN
CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIGENHAI-
NA, NIDDA, SCHAUMBURGO,
TSENBURGO & BUDIN-
GA &c. &c.

DOMINO MEO CLE-
MENTISSIMO,

PRINCIPI PIO, MAGNANIMO, JUSTO,
REGIMEN TRANQVILLVM ET PROSPERITATEM
PRINCIPALEM !

PRINCIPAL DOMINO
DOMINO

ERNESTO
LUDOVICO
D. G.

HARVEY LANDGRANO
PRINCIPAL DOMINO
DOMINO

DOMINO MEO CLE
MENTISSIMO
PRINCIPAL DOMINO
DOMINO

PRINCIPAL DOMINO
DOMINO

SERENISSIME ^{AC} CELSISSIME
PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISIME,



um Sacr. Sacr. Cæsa-
reæ Regiæque Maj. Maj. SE-
RENISSIMAM VESTRAM CELSI-
TUDINEM in *Pandectis* hisce
Medico - Legalibus maritare
non substineo tantum proxi-
mum utroque necessitudinis &
consanguinitatis vinculum, sed
& pristinam eamque Regiam Stemmatis Illustrissimi haf-
siaci scaturiginem humilime deveneror. Ut enim non
dicam

DEDICATIO.

dicam Carolum illum nomine gestisq; verè Magnum
Primumque in Monarchia Romano-Germanica Im-
peratorem, Serenissimis Hassiæ Landgraviis originem
dedisse, ut vel solum *Mausoleum Hassiacum*, opus
& pretiosissimum & cedro dignissimum, ob oculos
ponit: constat prætereà neminique non cognitum,
Ludovicum Pium, Hassiæ Landgravium, ob insi-
gnem, qua coruscabat, pietatem sic dictum, è Regiò
Stemmata prognatam Conjugem Pientissimam, Eli-
sabetham scilicet Ungaram, sibi desponsasse, quam
ut jam olim in Divarum numerum fuisse receptam
universus Orbis novit, ita in *Serenissimæ Ve-*

stræ Celsitudinis Conjuge Principali illius
memoriam ferè recolunt, quicunque indefessum
EJUSDEM SERENITATIS, pro verâ & infucatâ
pietate reducendâ, zelum utrobique venerantur.
Mira precibus suis devotissimis effecisse traditur S.
Elisabetha, quæ Viatoribus, sarcophagum Ejus pre-
tiosissimum in vicinia spectatum venientibus, longâ
serie recensentur; ast nescio annon similia, vel majo-
ra præstiterit SERENISSIMA NOSTRA PRINCEPS, quæ cum
Illustrissima Vestra Celsitudine,
pietate, precibus & exemplo Suo, intra paucissimo-
rum annorum decursum, veri & infucati Christia-
nismi

DEDICATIO.

nifini rudera, obfetricantibus Theologis Probis & Cordatis, per univerfos Haffiæ fuperioris circulos ita diffeminat, ut, ubi horrenda aliàs execrationum fulmina detonabant, nil nifi bona verba nunc recipiuntur, meritoque de vulgò noſtrò quis dicere poſſet: *quantum mutatus ab illo!* Ita ſc. non ſtirpe tantum, ſed & virtutibus Reges æmulari: ita Regibus decebat maritari Principes.

Accedit altera, quæ Auguſtiſſimæ huic Copulæ anſam dedit, ratio, ab ipſo, quod humilimè ſiſto, objecto petita. Quemadmodum enim Reſponſa hæc Medico-Forenſia in Celebrioribus S. R. I. Academiis ſuborta, Sacr. Sacr. Cæſareæ Regiæque Maj. Maj. conſecranda erant, quarum authoritate, privilegiis & immunitatibus aluntur Germaniæ Lycea: ita præſentes, quas *Sereniſſimæ Vestræ*

Ceſſitudini devotiſſima ſubmiſſione offero, *Declamationes Panegyricæ*, in ſola Ludoviciana natæ, Nutritori ejusdem Munificentiſſimo ſpeciatiim in acceptis ferendæ ſunt, cujus ſub protectione moleſtiſſimum & revera arduum Magiſtratus Academiſi munus, ſermonibus hiſce partim ſuſceptum, partim abdicatum ſecunda nuper vice abſolvere & finire licuit.

Suscipe

DEDICATIO.

Suscipe ergò, PRINCEPS SERENISSIME, quæ humilimæ gratitudinis ergò, pro incolumitate *Serenissimæ Vestræ Celsitudinis* Totiusq; Domus Hassio - Darmstadinæ perenni felicitate, in præsentibus Declamationibus, fudi suspiria. Suscipe labores, in solius DEI gloriam, inclutæ Ludovicianæ celebritatem & studiosæ juventutis emolumentum publicè susceptos, quos ut Deo vitam viresque clementissimè indulgente nunquam non strenuè profecuturus ero: Ita *Serenissimæ Vestræ Celsitudinis* Protectioni & Tutelæ Principali eosdem humilimè commendo atque confesco, æternum permanens

SERENISSIMÆ VESTRÆ CELSITUDINIS

Subditus Humilimus

*Michael Bernhardus
Valentini.*



DECLAMATIO PANE-
GTRICA I.

DE

MEDICO PHYSICO

Habita Gisse die 1. Jan. An. 1697.

cum è manibus Medici Sceptra Acad. susciperet.

PROCERES ACADEMIÆ

MAGNIFICI, SUMME RÉVERENDI, CONSULTISSIMI,
EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI:
CIVESQUE ACADEMIÆ GENEROSI
& PRÆNOBILES!

T Ralatinium & vulgare Medicus desierat; quò parum
est in Lyceis publicis di- abest, quin *ὡς ποτὶ πρῶτον* egisse
cterium: Ubi desinit videaris, ANTECESSOR VE-
Physicus, ibi incipit Me- NERANDE. At salva res est,
dicus. Hodiernò verò die novò nec ultra forum sibi debitum
eoque vortò prorsus ordine extendenda parcemia, quod vel
Physicus incipere jubetur, ubi ingratis meis hoc ipso die con-
(A) fiteri

feri cogor. Enimverò felicissimum me prædicarem, si proverbii hujus vi arduum, quod humeris meis, prorsus imparibus, imponitur Magistratus Academici munus declinareliceret: ast quæ per illud declinarem, cum & in Praxi Medicâ fallat quam sapissimè diverbium, in quâ irritis Artificum, etiam Versatissimorum, conaminibus, Hippocrate teste, *φύσις νόσους ἰντροποι*. Adeoque paradoxus non fuero, si contra vulgarem sustinuerò, Physicum hæc incipere, ubi Medicus desierat.

Ne verò gratis illud & precario adstruere videar, gratiâ paceque vestrà, AUDITORES, liceat hoc ipsum tribus, quod ajunt, verbis declarare, quò & Statutis Academicis & patientiæ vestræ satisfiat, quibus si non rei verborumque gravitate, brevitate tamen utrobique complacere aeo.

Ut autem ab ovò (quod dicitur) rem exordiar, è pristinâ Romanorum curiâ triplex Medicorum series in scenam prodeat, quorum alii Archiatri,

nonnulli Perideutz, servi reliqui & Chirurgi dicebantur. Archiatri Principes erant Medicorum, quò tituló & Æsculapium insignitum fuissè perhibent. Illorum autem duplex observabatur ordo, quorum prior Archiatros tenebat Sacri Palatii, qui in Aulâ Principis florentes intra palatium militare dicuntur, *L. un. cod. de Comitib. & Archiatr.* Hinc & Comitum honore donabantur, modò primi, modò secundi ordinis, imò Ducibus æquabantur, 'ut ex eadem lege observat *Thomas Bartholinus in Act. Hassniens. Vol. IV. observ.*

LXXXI. pag. m. 190. Unde forte est, quòd Medici Anglorum Gallorumve Regii & nostrò tempore Archiatrorum Comitès dicantur. Reliqui Archiatri erant Populares, de quorum numerò, commodis & mercedibus *Valens & Valentinianus* Imp. Romæ jus dedere, *L. 1. Cod. Theod. de Medicis & Professoribus.* Cæterum idem utriusque classis & effectus & desectus est, ut quanquam majore præ reliquis & honore & experientiâ videantur superbire, tandem

dem tamen & illud fateri cogantur :

*Non est in Medicò semper relevetur
ut ager,*

*Interdum doct' à plus valet Arte
malum.*

Hinc videas, quòd Naturæ Physicoque sæpè tradant lampada, sive jam acutis, sive chronicis morbis debellandis fuerint adhibiti. In Acutis acutò, utur omninò licitò, utuntur stragemate, ut, cum in illis incertæ sint prædictiones ancipitesque eventus, in consilium vocent alios, quò, si res malè cesserit, de culpà, sin prosperè, de gratià participent, datàque occasione par pari referant :

Consultant alios, ut ab his vocentur & Ipsi.

Quodsi tandem omnia illorum consilia sint inania, vires accusant omnino prostratas, Naturamque nimis debilem, cui reliquum, quod est negotii, committere coguntur, & ita Physicus incipit, ubi Medici desierant. Sin è contra Chronicos, quos vocant, morbos curandos suscipiant, novà arte Ægros ad thermas, ad acidulas able-

gare solent, quò in affectibus reverà obstinatis (quæ eam ob causam ludibria Medicorum audiunt) ægrorum querimoniis tantisper liberentur, & in tot ægrorum ditissimorum confluxu eò majorem bursam saginandi ansam nanciscantur. Quodsi verò dicendum, quod res est, sæpissimè non tam molesta tot aquarum ingurgitatio juvat, quàm lauta laudabilisque diæta, motus corporis animusque à curis & molestiis liberrimus, quæ cum Naturæ potius, quàm Artis sint remedia, hinc & illuc Physicus incipit, ubi Medici desierant. Multò verò magis isthoc locum habet in II. Medicorum classe, quos Perideutas, seu Circulatores Roma nominabat, quòd per omnia civitatis compita circosque, unius tamen urbis, medicinam faciebant. Circumforaneos autem hosce longè tunc meliori locò, quàm nostrò seculò habitos fuisse, docet *Justus Modestinus leg. 6. §. 1. ff. de excus. tutel.* Cæterum si methodum in medendo illis usitatam perpendamus, in tantà Artis imperfectione sui que simulatione pluribus & illicitis

Declamatio Panegyrica I.

sæpè artibus, à *Machiavello Medico* haustis, infanti plebecula fucum ferè faciunt, è quibus maledicta illa Medicoque Christiano ferè indigna Uromantia omnium consensu palmam tener, quàm dum infrunitis simulationibus & mendaciis famam sibi aurumque comparare student, vitam proximi animamque propriam præcipitiis exponunt periculosis. Talibus sanè strophis Natura non indiget, sed *Hippocrate* teste *πάρτα πᾶσι ἀνθρώποις*, in omnibus sibi est Suffena fidelisque morborum medicatrix. Unde idem Senex tanta sollicitudine monet eos, qui egregii quid præstare volunt, ut Medici Physici evadant, horum enim (ut pro ratione addit) nullus temerè quid efficiet. Imò Gallus quidam, sed *Anonymus*, in *Tr. de Medecin de soymisme parl' instinct*, argumentis non evanidis adstruere non dubitat, unumquemvis sibi met ex instinctu naturali mederi posse. Nec obstat, Naturam à Medicis ope remediorum adjuvandam esse, cum Practicis candidioribus fatentibus pharmaca infinita nil aliud

agant, quàm ut inducias morbo cum Naturâ pacifcantur, donec illa tandem morbos per expectationem perdomare valeat, ut *Harveus* Anglus haud ita pridem, in speciali hujus Tituli scripto, publicè asseruit: & ita reverà heic pariter Physicus incipit, ubi Medicus desierat. Et idem, nî fallor, judicium ferendum est de III. Medicorum Romanorum classe, in quâ Medici quoque audiebant illi, qui exsecris virilibus Eunucho faciebant, Chirurghi sc. Operatores,

Idiota, Sacerdos
Judeus Nequam, Histrio, Tor-
sor, Anus.

Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix
& Arator.

Verbo: Servi, qui cum Obstetricibus 60. solidis aestimantur, leg. 3. C. Tit. Commun. de legat. Unde sine dubio contumeliosa illa, quæ in Artis nostræ Cultores exploditur, calumnia exorta, quòd Medici apud Romanos Servi fuerint, de quò tot disceptationes & litigia olim inter Celeberrimū *Böckelmannum* Crum & Excellentiss. *Drelincurium*,
Archit-

Archiatrum, utrumque Professore Lugdunensem.

Ast quò hæc? Vestram nempe CIVES ACADEMICI (Vos enim nunc alloquor) vestram, inquam, indolem intelligo, dum Naturam hætenus tantoperè dilaudavi. Novi enim Genium Vestrum & Ingenium ad altiora natum: Novi Naturam ad æquitatem naturalem, virtutem bonosque mores inclinantem, quæ non Medicâ amplius manu indiget, sed Diæteticâ, Naturam hancce conservante. Certe igitur me spes tenet, Vos omnes & singulos, durante hoc, quod suscipio, munere Rectorali, Naturæ divinitus illuminatæ ductum secuturos & quas ipsa nobis dedit, Leges observaturos: Honestè victuros: Neminem læsuros, suumque cui libet largiuros fore. Nolite, ô MEI, locum dare scandalo illorum, qui vel eò tempore iisque in locis, quæ tenore legum piâ placidaque admonitione VOBIS præluce debbant, in Celebritate Virorum Illustrum turpia & Christianò homine indigna convitia in Proximum dis-

plodunt, aliàs verò calumnias, à Mendacissimis & Insulsis Sycophantis, vapulante licet & altum ejulante Priscianò in Viros Honestissimos conscriptas, divulgant & circumferunt, non aliam ob causam, nisi quod nomini illorum, Exteris prorsus incognito, celebritatem quandam circumposuerint; Quæ hominum ingratitude, ut ingenuis quibusve summoperè est exosa, ita mirum non est, si fatò quodam vindice in mediò Schedarum suarum cursu penitus confusi & quasi occæcati, ut mus in pice hæreant.

Vos autem non ita, CIVES Ingenui! Fugite hanc cavillandi pruriginem! Fugite jurgia, rixas, æmulationes, ac in bonâ charitate mutuò Vos amore prosequendo Vitam Academicam piè tranquillèque degite: Ita DEI Trinuntius benedictionem, Magnatum Gratiâ, Patronorum Benevolentiam, omniumque bonorum applausum, salutem denique & temporalem & æternam certò Vobis promittere valebitis.

Tu verò ALMA TRIAS, prosequendo nil cogitent aut
 Deus Pater, Fili & Spiritus San- efficiant, nisi quod Sanctissimo
 &c! sub umbrâ alarum Tuarum Tuo nomini gloriosum, sibi pro-
 fovere perge Academiam No- ximoque proficuum: Omni-
 stram Ludovicianam. Serva bus denique salutare sit & fru-
 Nutritium Nostrum Clemen- ctuosum. Tibi, ô Supreme
 tissimum Domumque Principa- Deus, sit LAUS, HONOS &
 lem Hasso-Darmstadinam: Ser- GLORIA, IN SEMPITERNA
 va Docentes: Serva Discentes, SECULA!
 ut mutuô se amore & honore

DIXI.



DE



DECLAMATIO PANE-
GYRICA II.

DE

LEGIBUS ARTIS ET
NATURÆ.

Habita Gisse die 1. Julii An. 1697.

In Prælectione Legum.

LEGUM, TAM DIVINARUM, QUAM HUMA-
NARUM, SACERDOTES MAGNIFICE, MAXIME REVE-
RENDI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI CORPORIS ANI-
MIQUE MEDICI EXPERIENTISSIMI,
EXCELLENTISSIMI:

Tuque

*Nobilissimorum DNN. Studioforum Seges atque
Concio Florentissima.*

Ordinem quendam, serie humanarum eventus, sed & alia,
indivulsâ cohærentem, è causis merè naturalibus flu-
rerum esse animam, vinculum- entia *Φανέρω* satis luculenter
que plus quàm adamantinum, adstruunt. Illustre hujus ex-
non felices tantum actionum emplum in illustri, quem cer-
nimus

nimus cœlorum motu sistitur, qui rotatis vorticibus sidera eleganti certoque producit ordine. Certò temporis ordine commissa terræ semina in fruges progerminant, certâque in artibus combinantur serie, quâ & arborum disponuntur ramusculi, ipsaque viventium membra debitò non locata locò ordinem Naturæ negant. Paucis: Ordinem clamant omnia, quæ genuinâ felicitate gaudent, nec unquam sine ordine felicitas, aut sine felicitatis famâ concinnus ordo. Quemadmodum ergò Summus ille rerum mundanarum Arbiter DEUS T. O. T. M. in primavâ Creatione cuncta numero, pondere & mensura dedit valdè bona, h. e. perfectissima, ita cœlum terramque librando, eorumque non minus ac reliquarum in hōc mundo ad spectabili occurrentium Creaturarum motum promovendo, certis Naturam Legibus instruxit, quæis ordinem exactissimum servando in exemplum cedant hominum institutis, sine Lege prorsus collabescerentibus. Adcò nempe verum est, quod

Romanæ Facundia nervus lib. 3. de legibus habet: Nihil ad conditionem Naturæ tam aptum esse, quàm Legem, sine quâ nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum Natura omnis, nec ipse Mundus potest. Equidem, quod corpus sine anima, hoc Mundus sine Lege, sine ordine, nec aliam unquam Formam Animamque in eò Saniores agnoverunt, quam admirandam illam cœli terræque combinationem, quicquid aut Platonici de Spiritu Animæque Mundi, aut ipsæ Stagira de Intelligentiis suis, intellectum captumque prorsus transcendentibus, obtruserint. Nec obstat æquabilis illa & plusquam Geometrica temporum proportio, quâ sive sidera juxta Communem, sive terra juxta Copernicum, motus suos tam exactè repetunt, ut vix horologium, licet artificiò subtilissimum, intervalla sua certius emetiatur, quæ citra formæ, ut loquuntur, assistentis, aut, si minus, animæ subsidium vix contingere posse videbantur: Quam

motus hæc æqualitas, citra omnes, quas fingunt, intelligentias, à Mechanicis & in ipsâ rerum Mundanarum Naturâ radicatis principiis, seu, ut hodie loquantur, MOTUS LEGIBUS dependeat.

Non ingratum fortè erit, AUDITORES, si hoc, quò Serenissimorum Academiae Fundatorum, memoriæ Gloriosissimæ, institutis Leges & Statuta repetenda sunt, tempore, pauca DE LEGIBUS ARTIS & NATURÆ, Artis inquam Naturam imitantis, h. e. Medicinæ, Vobis obtrusero, & *Φαράμακον* quædam è legibus his fluentia, in communi tamen vita non evanida, hic publicè deduxero, & ita quidem duxero, ut si non Artis Oratoriæ, Naturæ tamen (utpote quæ paucis est contenta) ductum secutus, bonitatem vestram & in audiendo patientiam, quam ad semihorulæ spatium submissè expeto, in pretiò habiturus eaque prolixis & sterilibus verborum crepundiis nequitiam abusus sim.

Caterum Artis & Naturæ Leges traditurus ordinem se-

quor naturalem ipsiusque 1. NATURÆ LEGES non tam moraliter, per omnibus connata Naturæ jura explico, sed tenore Statutorum, intra Professionis meæ limites consistendo, per easdem in sensu Physico nihil aliud, quàm decantatas hodie & in castris Modernorum tantoperè famosas Motus Leges intelligo, quibus innumeris Artis & Naturæ phænomenis extricandis felicissimè utuntur. Enim verò si non omnium, plerorumque tamen, in Naturâ contingentium causas in diversitate morus radicari, *Thomas Hobbesius* sibi primus observasse videtur, dum in Vita propriâ, ligatis verbis à se ipso descriptâ, ita ludit :

Hinc est, quod Physicam quisquis vult discere, Motus

Quid possit? debet perdidicisse prius.

Ergò Materia Motusque arcana recludo &c.

Ast jure veretur Inclytus *Morbofius*, ne vel Epicurus, vel ad minimum Cartesius dicam illi scribant, qui utrobique suis jamdum annis omnia per motum in ma-

in materiâ explicarunt. Et qui-
dem ipsum quod attinet *Cartesi-*
um, certissimum est, eundem
quemvis in Naturâ motum à
principiô externô, & si ad pri-
mam ejus originem recurren-
dum sit, ab ipsô DEO deduxif-
se, utpote qui in primavâ rerum
creatione motum rebus verbo
suo fiat indidit & pro liberrimâ
suâ voluntate usquedum con-
servat: Cùm verò Lex unaqua-
vis nihil aliud sit, quàm determi-
natio voluntatis, sive Divinæ,
sive Humanæ, hinc eô quidem
sensu ordinem hunc in corpo-
rum naturalium motu obser-
vandum per Leges motus haud
absurdè exprimit, quas hujus
intuitu simul Naturæ leges ap-
pellare liceat, cùm hæc nihil ali-
ud sit, quàm principium motus,
in corporum texturâ indequere-
sultante ad motum aptitudine
consistens. Eamus in nume-
rum illarum, quas ternariô ferè
complectitur *Renatus*, ita ut 1.
asserat, DEUM in primavâ
creatione rebus indidisse mo-
tum, hujusque eandem sem-
per quantitatem esse in Natu-
râ, cùm quodlibet corpus

semper in eodem (quantum
in se est) statu perseveret. &
ita quod semel movetur, sem-
per moveri pergat. Tribus illa
fulcris innititur, quorum pri-
mam de DEO, motus Autore,
partem ambabus omnes, nî A-
thei fuerint, manibus conce-
dunt. Secunda verò, de ea-
dem semper motus quantitate,
nulla usque ratione demonstrari
potuit, cùm quæ de DEI immu-
tabilitate adferunt, ne quicquam
hîc vincant. Licet enim Deus
T. O. T. M. in se & suâ Naturâ
omniô sit immutabilis, aperitè
tamen falsum est eundem nul-
lam Creaturis mutationem in-
dulgere. Mutavit sanè primæ-
væ & Patriarcharum disposi-
tionem, civile quoque Judæo-
rum regimen, quæ sine dubio
præviderat. Nec tandem ulti-
mum regulæ membrum extra
dubium est locatum, cùm ma-
gna inter statum rei naturalem &
violentum sit distinctio, in quò
posteriori rursus claudicar hy-
pothesis. Secunda, quam Na-
turæ vulgò tribuunt, in motu
lex est: Omnem motum na-
turalissimè esse rectum, cùm ea,

, quæ

quæ circulariter moventur, à centrò semper recedere conentur. Ast quam lubrico illa fundamentò nitatur, vel ex ipsius *Cartesii* assertis patet, quùm elementis suis motum circula-rem tribuat, qui utique natura-
lis erit, non violentus. Nec exemplum de lapide, fundà ro-
tatò, quadrat, cùm hujus pressio & recessio non in ipsò lapide
resideat, sed ab elatere aëris &
ætheris dependeat. Quando
verò in 3. Naturæ lege corpus
in motu alteri occurrens, si
minorem habeat ad pergen-
dum, quam aliud ad resisten-
dum, efficaciam, reflecti vel
desicci: Sin verò majorem,
alterum corpus secum move-
re & quantum illi dat de suò
motu, tantundem perdere ex-
istimant: Illud oppidò adver-
satur experimentis, omni, quod
dicitur, exceptione majoribus,
siquidem prius duo pendula, ex
lutò induratò, in Chronosco-
piò *Hugenii*, sibi occurrendo sta-
tim quiescentia: Posterius au-
tem flamma candelarum destru-
it, cùm ellychnium alteri arden-
ti admotum flammam conci-

piat citra hujus imminutionem.
Certissimam verò & in regendis
C. N. motibus validissimam Na-
turæ legem admiranda corpo-
rum in motu constitutorum cir-
culatio constituit, quâ, dum ple-
na sunt omnia, nequicquam
moveri potest, nisi cedentibus
sibi invicem plurimis aliis, do-
nec mobile ad idem, quod reli-
querat punctum rediens, circu-
lum, si non Geometricum, ana-
logicum tamen dicitur absolve-
re. Admiranda prorsus & non
sine stupore observanda sunt,
quæ non tantum in Naturæ cir-
culis, sed & Artibus Hydraulico-
Pneumaticis, Naturam verè
imitantibus, hæc circulationis
lege accidunt, quod in siphoni-
bus & antliis in vulgus etiam
notissimis, *ὁ φθάλμιος φανερός* à quò-
libet observari potest. Notum
quippe est, retractò in iisdem
embolo, aquam aliosque liquo-
res, contra propriam sibi gravi-
tatem adscendere, id quod aut
instrumenti suctioni, aut ine-
ptissimæ illi Vacui fugæ tribu-
unt, qui verbis, rerum ponde-
re destitutis, magè, quàm veris
rerum causis delectantur. Longè

verò aliam & otiosâ Scholarum
turbæ minus cognitâ hæc late-
tere causâ, æris se. retroce-
dentis pressiōem, vel exinde
videas, quòd aqua in siphoni-
bus & aniliis non ad quamvis
altitudinem eleuetur, sed ut-
primùm tringinta duorum, plus
minusve, pedum altitudinem at-
tigerit, instar Marpesiæ cautis
immobilem persistere, licet em-
bolus ulterius & altius urgeatur,
idemque, quem tantoperè ab-
horrent, vacui metus adesse vi-
deatur. Hâc enim in statione
aqua in siphonibus adscendens
& aer extus premens in æquili-
briò detinentur, ad quod fluida,
ut ex mechanicis constât, spon-
te suâ ruunt. Maximo & indi-
cibili suò damno hoc integra sæ-
pè regna, principatus & impe-
ria, aurifodinis illustria, deplo-
rant, dum ob irruentes aquarum
subterranearum fluctus, omni,
quàm ante conceperant & hau-
ferant, spe destituuntur, quùm
è Fodinis XVII. vel XVIII. cubi-
tos altitudine superantibus nul-
lis siphonum; aniliarum simpli-
ciorum & similium machina-
rum subsidiis aquarum moles

exauriri possit. Testantur hoc
Metallifodinæ Serenissimorum
Hassæ Principum, cum primis
autem Gladebacenses, in vicinâ
olim celebres, quæ cum metâl-
lis etiam nobilioribus, auro se.
& argentò confertim fuerint
imprægnatæ (prout nummi An-
tiquariorum curiosi, inde con-
flati, adstruunt) ita propter irru-
entes aquarû undas nostris nunc
diebus prorsus desolatæ jacent,
damno Patriæ irreparabili. Nec
absumile quid in Nidercleensib-
us, haud procul à Butisbacò,
Fodinis accidit, quæ cum ♀ seu
Cuprò pristinis temporibus fue-
rint ditissimæ, adeò quidem, ut
locupletatis inde civibus ad
quamplurima Egenorum bene-
ficia fundandumque Nosoco-
mium non contemnendum, an-
sam & materiam suppeditave-
rint, ita similis aquarum vio-
lencia jam à plurimis annis o-
mnem ad easdem aditum inter-
clusit, donec haud ita pridem
novò molimine, factis in radice
montis cuniculis, aquarum ex-
itum pleno declivique gurgite
erupturum Ministri quidam
Principales attentârunt, quò fac-
cessu,

cessu, dies propediem & tempora docebunt. Taceo quamplura in Hercynia Sylva metallisque Celebris Saxoniam eandem ob causam derelicta minerarum antea, quæ divitias in alvei sui alvo abscondunt inexhaustas, quas nulla usquedum arte suffocatis quasi aquis mersisque cuniculis eripere potuerunt. Meditabatur quidem & cum vitæ sanitatisque dispendiò noctes diesque scrutabatur Machinam quandam, ex promissò Electorali 10000. Imperiales inde lucraturus Dn. Spenerus, Mathematicum & Phys. Prof. quondam Hallensis, sed morte beatissimâ præventus, tantæ sive Artis, sive Theatri Saxoniam Orbemque partem reddere non potuit, relictis tantum operis nobilissimi lineamentis, quibus suo fortè tempore colores, & fors quoque colophonem addent Fratres haud minoris indolis & spei. Utinam hæc decantatissimus Scholarum vacui metus infastigas fodinarum undas evacuet: Utinam à vacuò abhorreret Natura? Ast vercor, ne pumici citius lachrymas extor-

queant, quam otiosa illà vacui fûgâ siphonum antliarumve opere torrentes subterraneos è minoris altioribus exantlare valeant. Hoc enim non Naturæ modò, sed & Arti prorsus impossibile esse, elegantissimò nuper experimentò docuit Inclutus *Boyleus*, dum erectò Londini Britannorum tubo, XXX. pedibus altiori, Bertiano haud absimili ipsique in tecto, hunc in finem conductò, Antliam Pneumaticam applicuit, quàm crebrius fortiterque exerceri jubens, cum adstantibus D. D. *Walliso*, *Wrenno* aliisque observavit, aquam nullò prorsus modò vique nullâ ultra XXXII. pedes elevari potuisse, cum in hac statione cum aëre externò æquilibrium observans circulum in motu hujusque leges expediverit & expleverit. Et inde quoque est, quòd rarò arbores crassiores, XVII. ulnarum sive cubitorum altitudinem excedere videamus, cum succus nutritius ab incumbente aere in tubulis fibrarum, utut angustissimis, altius evehi non possit; hocque non minus in causâ est, quòd curiosissimò

aliâs & subtilissimô *Senguerdii* Prof. Batavi experimento fidem usque denegem, qui in novissimâ *Physices* experimentalis editione novam proponit machinam, quâ valvulas in plantis æquè ac venis animalium sibi reperisse videtur; cum experimentum illud expectationi nostræ non respondeat, neque valvulis his indigeat *Natura*, quæ jugi & indefessâ aëris pressione & elatere succos arboribus, etiam altissimis, subministrare & citra regurgitationis metum in sublimi detinere valet. Parallelô verò priorique *Boylei* experimento ferè analogô totum hoc negotium haud ita pridem in baroscopiô *Torricellii* curiosis quibusdam *Academix* Civibus ostendimus, in quod mediante tubô æneô inflexô antriæ pneumaticæ applicatum & seu argentum vivum nullô conatu vel labore ultra consuetam 27. digitorum altitudinem urgeri poterat, manifestissimô indicio & cum aëre externô in æquilibrîo constitutum, ut aquam 32. pedes emensam (cui ut 1. ad 14. proportionem

habitâ respondet) omnem in motu circulum absolvisse.

Leviori verò, sed culinari ferè *Muliercularum* experientiâ ejusdem legis & utilitas & necessitas ostenditur in folle artificiali, ad ignem insufflandum idoneo, qui lateribus utrinque diductis aërem sibi vicinum loco movet, qui lege circulationis orificio impingitur, ita tamen, ut compressis iterum lateribus expulsus, pristino loco restitatur; quâ duplici aëris circulatione, obstructô folliis orificiô, impeditâ, difficilima laterum & extensio & compressio observari solet. Et iisdem circulationis legibus arduum *Respirationis* humanæ negotium perficitur, quod priori folliis exemplô quondam dilucidavit *Inclytus Majorinus* Anglus & ex eo nuperrimè *Schambergius* Lipsiensis, in elegantissimâ de *Respiratione* *Læsa* dissertatione. Quod enim laterum diductio est in folle, hoc sterni costarumque expansio in thorace, quâ in motum agitur aer circumflans, donec prius ori, mox faucibus & pulmonibus illatus, indeque

à Thoracis pondere concidente rursus expulsus motu quodam circulari eò ressuat, unde prius expulsus erat. Et hinc est, quòd Animalia quævis recipienti inclusa à primâ aëris per Antliam Pneumaticam exhaustione fatiscant, animam ducant & nî admisso subito aëre ex Orci faucibus eripiantur, penitus emoriantur. Infinitis hæc exemplis demonstrari possent, imprimis autem manifestissimâ illâ aquarum in Macrocosmò & sanguinis circulo in Microcosmò, ad fontium vitæq; perennitatem oppidò necessariis. Ast vereor, ne vestra, AUDITORES, bonitate nugis hisce dudum sim abusus. Hinc tempori loquage commodis alia reservans tribus adhuc verbis Leges Artis, Naturam imitantis, h. e. Medicinæ, pace vestra subnectam.

Paucis, sed nervosis, easdem verbis includit optimus Senex, *Cato* sc. dum *lib. de lege* scribit: Qui Medicinæ scientiam sibi verè & aptè comparare volet, is horum omnium compos esse debet, uti Natu-

ram nactus sit, doctrinam, locum studiis aptum, institutionem à puerò, industriam & tempus, Quibus si pietatem morumque elegantiam, tanquam palmaria statuta, junxeris, & hujus & illius vitæ promissionem habebis. Elegantissimò & ab Agriculturâ sumptò simili hæc illustrat *Hippocrates*, cui non studium tantum Medicum, sed & omnis vita Academica haud absurdè comparari potest. Naturam h. e. indolem & ingenium agrum esse dicit, qui per industriam discentium veluti gravidatus feliciter beneque crescendo maturos suo tempore fructus edit. Salutaria Doctorum præcepta seminis instar se habent, quæ non inania, nec immatura sint, sed judiciò suffulta. Institutio à puerò tempestivæ sationi respondet. Locus verò Disciplinæ accommodatus a ri ambienti; quibus omnibus si Benedictionis Divinæ imber & irriguæ pietatis lachrymæ accesserint, non potest non messis expectari latissima, saluberrima, amplissima. O felicissima Vitæ Academica.

demica Georgica! ô beatam eorum sortem, qui legibus his obtemperando in timore DEI sudoreque faciei indefesso serunt studio, quò fructus abhinc & ferant & capiant uberrimos. Omnibus hæc dicta sunt, nec τῶν λατῶν παῖδες legibus hisce unice sunt obstricti; quin & reliquarum Facultatum Studiosi, qui DEO, Patriæ, Proximo tandem inservire Reique publicæ incrementa adaugere voluerint, illis obligantur, id quod ex

LEGIBUS & STATUTIS ACADEMICIS, quæ jussu Serenissimorū Athenæi hujus Fundatorum hodiernis Julii Calendis prælegenda sunt, uberius percipietis.

Age igitur, Notarie Academicæ Publice, age! voceque clarâ & distinctâ Tit. LXXV. è libro Statutorum prælege. Vos autem, CIVES ACADEMICI Lectissimi, arrigite auresque vacivas commodare.

Hic interponebatur Prælectio legum.

EPILOGUS

Post lectionem Statutorum.

Percepistis nunc CIVES ACADEMIÆ NOBILISSIMI, quàm gratiosâ, quàm Paternâ cura & clementiâ Serenissimi Lycei nostri Fundatores, gloriosissimæ recordationis, de salute vestrâ solliciti fuerint: Quantâ pietate, emphasi & prudentiâ sint sancitæ Leges, quàm admirando hæreant fluantque

nexu. Fluunt autem omnes è communissimis illis & quæ omnium reverâ cordibus sunt inscriptæ, Naturæ legibus, ut scilicet honestè vivatis, neminem ledatis & suum cuique tribuatis.

Honestè autem vivitis, si pietate infusâ DEO tribuetis, quæ DEI sunt, Principi quæ Principis: Si, quod ab initio

vita Academicæ stipulati estis, sô excolaris, quò fructus post reverentiam exhibeatis debitam Antecessoribus & Professoribus: Si omnibus honorem exhibeatis promeritum; ita neminem simul læderis, nec levissimas vellicationes instar calumniæ interpretando ad fixas, digladiationes & brutalem illam, imò brutorum sævitiam superantem Duellantium furorem dilabimini; & ita porro suum pariter cuilibet tribueris. Vitam fortunamque scil. tribueris Commilitonibus, si famam illorum vitâ cariorem suggillationibus, injuriis & subannationibus minus laceraveritis: Si omnis commellationibus sanitati illorum nullum incommodum intuleritis: Si vitam, quam DEUS illis tribuit, duellis illis plus quam Diabolicis non eripitis. Suum tribueris Parentibus Vestrīs, si multò sudore & labore parta subsidia & impensas benè collocaveritis. Vobis ipsis denique multum tribueris, vestraque salutis fortunæque Fabricatores eritis, si monito Hippocratis obtemperantes agrum vitæ Academicæ sedulò laboreque indefef-

sô excolaris, quò fructus post hâc uberrimos feratis & referatis. Nolite, quod pigri Agricola faciunt, (verbis utor Magni Alexandri apud *Curium*) nolite inquam maturos fructus per inertiam è manibus amittere, ne, quæ nunc Vobis traditur (imò prorsus obtruditur) occasio tandem calvâ fronte evanescat.

Tu autem, SUMMA TRIAS, DEUS PATER, FILI & SPIRITUS SANCTE, qui ordinis Legumque Fons & Autor es, qui numerò, pondere & mensurâ cuncta serie stupenda dispensasti, da quæso, ut in Athenæo nostrò ordine & decenter fiant omnia, h. e. legibus conformiter. Protege Summum Statutorū Vindicem, Principem nostrum Serenissimum Dominumque Clementissimum: Protege Augustissimam Domum Hasso-Darmstadinam: Protege Ludovicianam! Erige quæso conceptam nuper, aut nunc prorsus ferè decollantem, Pacis spem, ut emarcescente Marte Studia Musæque florent perpetuò! ita Sanctissimo Tuo No-

mini precum hymnorumque GLORIA IN SEMPITERNA
thura litaturi sumus. TIBI SECULA!
SIT LAUS, HONOS ET DIXI.

DECLAMATIO PANE- GYRICA III.

DE

PERIODIS MORBORUM.

Habita Gissa die 6. Jan. An. 1698.

Sub Abdicatione Muneris Rectoralis.

O Brinet antiquum, PRO-
CERES ACADEMIÆ
*Magnifici, Summè Reverendi,
Consultiss. Experientiss. Excel-
lentiss.* CIVESQUE NOBILIS-
SIMI, antiquum inquam obti-
net novus, quem haud ita pri-
dem felicissimè auspicati su-
mus, annus, & juxta cum inex-
hausta ac, quā nihil antiquius
habendum, omni die nova DEI
Bonitas. Quemadmodum enim
antiquissimum quodve verifi-

catum, ita neque novus, qui
sic vulgò dicitur, annus, sed an-
nosa dierum periodò recurrens
temporum repetitio & qui prin-
cipiò, mediò & fine caret, ho-
rarum circulus est. Adcò nihil
sub sole novum, nihil in Ma-
crocosmò, nihil in Microcos-
mò, nihil in Republicâ Civilî,
nihil in Republicâ Literariâ.
Gaudeant ergò soloque Nova-
torum nomine sibi plaudant ii,
qui novis conditè hypotheseis
excogi-

excogitandis student, verissimum tamen est, omnem Mortalium eruditionem, & novissimis etiam constantem, nihil aliud esse, quam perpetuam in antiqua fluctuatione innovationem, illudque quod scimus, esse minimum eorum, quæ nescimus; & ah! ô! utinam! nihil omnino Nos scire gloriemur, præter JESUM circumcissum, Jesum inquam Crucifixum! Inflet scientia mundana, mox tamen, ut bulla aëre insufflata, tenues dissipatur in auras creperoque hiatu annihilatur tota. Neutiquam ergo vana, nec inania sunt, quæ famosus alioquin *Agrippa de vanitate Scientiarum* disserit, quam & Sacra Nobis Scriptura & ipsa rerum Magistra, Experientia testatur abundè, cum vel sola, quæ in omnibus fere Disciplinis observantur, sententiarum divortia, nil nisi meram scientiarum humanarum vanitatem dicant & incertitudinem.

Luculentissimum hujus rei exemplum præbent tot circa Periodos morborum hypotheses, in quarum causis indagandis, licet à primò Artis Medicæ exor-

tu defudarint Medici, subactissimò quoque judiciò suffulti, adeò tamen nihil profecerunt, ut vix probabilibus conjecturis hæc in parte ludant, sibi que non minus, quam aliorum credulitati, turpiter illudant. Videas hinc Viros Celeberrimos nostris adhuc diebus toties in ruborem dari & tantum non in pudorem resolvi, quoties vel ipsi de hæc Medicorum cruce, quicquam meditantur, vel sub Morborum, febrium cumprimis, curâ à Plebejis rogitantur & Examen quasi Rigorosum sustinere coguntur, quàm præter verba, quæ datâ operâ sæpe dare student, nil solidi hæc, aut certi suppetat, quò sive sibi met ipsis, sive aliis satisfacere possint.

Opera hinc pretium meritor, AUDITORES, si occasione novæ, quam nuper admodum metiri cœpimus, annorum periodi, difficilimum hoc, abstrusissimum, in Òedipo & Oraculo non indignum *De Periodis Morborum* argumentum excussit, & dum sub abdicatione Magistratus Academici

(C) 2 quadam

quædam è Professionis meæ foro depromenda sunt, varias (si pace Vestrâ licuerit) variorum ætiologias, unâ cum epicrisi succinctâ in medium attulero; idque non tam periodicè seu periphrasticè, h. e. per ambages & trivia cundo, sed methodicè & quoad fieri poterit, brevissimè.

Enimverò de periodis affectuum prædicturò varia primum de morborum temporibus, initio sc. augmento, statu & declinatione, recidivis item & similibus, expedienda forent, si rem cā, quam exigebat, prolixitate pertractare liceret. At cum ad clepsammium perorandum sit, aliæque quæ me sive secutura, sive secundatura est, suada id dissuadeat, sine ulteriori verborum cumulo ad ipsas statim morborum periodos me conferam. Primum autem certum & extra omnem dubitationis ateam locatum esse censeo, plures dari morbos, statis horis, diebus, mensibus aut annis recurrentes, quos Periodicos vulgò dicunt. Iam Cephalalgiam periodicam hinc inde legas in

Prætorum casibus. Epilepsiam periodicè recurrere, vulgus non ignorat, Hæmorrhagiæ quoque narium periodicæ, vere cum primis & autumnò recurrentis, exemplum novi domesticum. De fluxu verò hæmorrhoidum periodicò remputo & notissimam & certissimam esse in quamplurimis. Quammaximè tamen id in Ecbriis, tam Continuis, quam Intermittentibus videre est, dum in illis post aliqualem remissionem certis horis febris ingravescere, in his verò à totali intermissione, sive singulis, sive alternis, ternis, quaternisve diebus paroxysmatim repullulare statasq; horum periodos tam exactè repetere solet, ut vix horologium, licet artificio stupendum, cursus sui intervalla certius emetiri valeat. Horum sanè *Φαινόμενα* causas dare, easque veras & indubias, heic opus, heic labor est. Hic enim Medentum atrolluntur humeri, inarcuantur supercilia & vel meditabundi in cælum elevantur, vel profundis cogitationibus in terram descenduntur lumina, donec pro varietate princi-

piorum varias sibi causas fingant & effingant. Enimvero Antiquorum de circuitibus febrilibus opinionem fusè perstringit *Helmontius*, *Tr. de Febr. cap. 3.* quum statorem inquit, circuituum causas Scholæ ajunt, quòd tantundem pituitæ generetur indies, quantum bilis alterna die & quantum atræ tri-duò. Scil. ut omnem ferè Præxin, ita & arduam hanc de Periodis febrilibus doctrinam antiquatæ dudum Humoristarum hypothesei superinstruunt, dum circuitus febris quotidianæ à pituitâ, tertianæ à bile, quartanæ à melancholiâ deducebant, & prout hic vel ille humor, sive inmittente (ut loquuntur) sive generante parte majori in copiâ colligatur citiusque putrescat, eatenus periodi plus minus accelerati putantur. Pituitæ igitur cum sit magna in corpore copia, eam citius coacervari & putrescere, aut in parte aliquâ colligi & inde ad alias partes, in quibus putrescat, mitti & ita singulis diebus exacerbationes inducere ajunt. Bilis autem, cum non sit tanta in corpore frequen-

tia, neque tam citò sive colligatur, sive putrescat, eam etiam tardius ad excretionem stimulare & non singulis, sed alternis diebus paroxysmum excitare existimant. Qua ratione & melancholiam quartò quavis die moveri censent. Alii rem non tam à motu, quàm naturâ humorum, eorumque citiori vel tardiori deslagratione, deducunt, sicut sententiam illorum fusè recenset & examinat *Sennertus lib. de febr.* Ast quacunque ratione se explicent, non tamen immeritò indignatur *Helmontius*, quòd Scholæ quintum humorem pro quintanâ non finxerint, neque dimidiatum sesquialterum pro hepialâ & hemitritæis: Duplatam item bilem neglexisse pro tertianâ duplici, nec meminisse duplatæ atræ bilis pro duplici quartanâ: Non invenisse humorem erraticum ac incertum, pro febre pigrorum lentâ. Sed ut de seriis seriò, citra jocum, citra sarcasum, *Helmontio* familiarem, agamus, hypotheseis hæc non tantum arduum hoc Periodorum problema non explicat, sed &

plurimis & quidem inextricabilibus difficultatibus scarer, cum explicare non possit febrium duplicationem, triplicationem, immutationem, cum Tertianâ sæpe in Quartanam abeat; & cur illi, quibus præcordia pure & pituita sunt referta, non tam quotidianâ tentantur, quàm hectica? Cur iterici non simul Febri Tertianâ, Maniaci Quartanâ laborant? ut taceam aliorum, supra enumeratorum morborum, periodos, humoribus hisce neutiquam expediri, ut mirer Celeberrimum N. N. Cartesianum aliàs acutissimum, huic Scholarum figmento quoque subscripsisse. Missò ergò Galeni delirio, jam ad fumantes Paracelscorum caminos respiciamus, & quid in furnis suis hâc de quæstione legant, observemus. Ast vereor, ne & heic nebulam pro Junone, fumumque pro luce captemus. Prorsus enim ridicula est, quam Scheunemannus ad Paracelsi mentem effingit, opinio, dum Tartarum cum sulphure excrementitiò, Mercuriò item & sale in præcordiis coagmen-

tari & in globum lapidi bezoar dico similem abire censet, qui pro numero & varietate tunicarum, ex quibus constat, paroxysmos febriles dimenatur. Quis enim unquam globum ejuscemodi fictum observavit? & quis inde veras periodorum causas deduxerit? Proinde alii, quibus non satisfaciebant Galeni & Paracelsi figmenta, Astrologiam vocarunt in suppetias, eò, quod febris statim horis subinde recurrat. Sed & hi alliduntur ad angustias, cum omnibus horis incipiant febres, itemque horis aliquot retardent aut anticipent, imò per aliquot vices sileant & obdormiant. Ut taceam alios in dubium vocare superiorum siderum influxum, ut adeoque non valeat exemplum, quod licet lite resolvit. Quæ tandem è Cranii scriptis de fomite febrili, inter valvulas vasorum harente, in medium adfert D. N. N. vix majori probabilitate gaudent; & licet febrium intermissionem quodammodò explicent, periodos earum tamen adeo non expediunt, ut potius easdem obscu-

riores reddant. Paulò propius ad scopum accedunt illi, qui tum intermissionem, tum periodos febriles ab æquali materia febrilis sive collectione, sive putredine deducunt, ducti exemplò *Cartesii*, à scenò madidò desumtò. Quæmadmodum enim sceni madidi portiones æquales, diversis licet in locis, eodem ferè tempore incallescunt & tandem accenduntur, (id quod à materia subtilis incarceratione & subsequenti expansione sequaces Eius deducunt) ita à nutrimentò depravatò indies relictæ cruditates iisdem semper horis computrescentes periodos febriles determinare statisque horis accendere fortè poterant; quæ opinio vel exinde haud exigua sibi probabilitatem promittere possit, quod tantum non omnes febres ex Diætæ vitii suboriantur, fameque sæpè abigantur. Unde præter *Cartesianos* fere omnes *Willisus* pariter, *Sylvius*, *Emmillerus* & alii à sententiâ hæc minus alieni sunt. Ast quàm plausibilis etiam primâ videatur fronte, vix tamen omnem diffi-

cultatem videtur exhaustire, quum Paroxysmi febriles plures & innumeras sæpè periodos reciprocant, licet omnis omnino fomes & materia febrilis è corpore sit eliminata. Cogitate purgantia, sudorifera, alterantia, decocta longa & similia, quibus Antiqui olim febricitantes non tam curabant, quàm vexabant. Perpendite Vomitoria, quæ Moderni specificis præmittunt & vix credibile erit, aliquid adhuc de fomite in primis restare viis; nec appetitus plerumque prostratus & exactissima, quæ præscribitur, Diætâ, novum illic cumulum generari patietur. Nihilò tamen minus quamplurimis, si non mensibus & septimanis, diebus certè febrim periodi recurrunt, certissimo indicio easdem longè aliam, quam in humoribus & microcosmi succis hætenus quæsitam causam agnoscere. Et quid de convulsionibus febribusque periodicis, à meris animi affectibus, in corporibus cætera sanis subito obortis & periodicè ludentibus dicendum? in quibus nullum humorum

p. n. apparatum concipere licet. Testantur enim Casuista & observationum Collectores ipsaque confirmat experientia, sæpissimè à nausèa, terrore, irâ aliisque affectibus vehementioribus morbos periodicos oriri. Epilepsiam sanè à visô spectrô per terrorem obortam *Wedelius* observat. Tertianam à terrore per tonitru subitaneum indutam, in Philiatrô quodam ipsimet mihi & observare & curare licuit. Quid quod & terrore sæpissimè curentur funditusque eradicentur periodi febriles, quô materiales ejusmodi & crassiores humores neutiquam aut expelli, aut aliô quovis modô tubigi poterunt. Et quis sciverit, annon vomitoria immediatè (& quod nonnulli solent) ante paroxysmum exhibita non terrendo magis, quàm evacuando febrim tollant, quatenus archæo, h. e. Spiritibus, impetum facientibus violentâ suâ vellicatone & ventriculi subversione terrorem quasi incutiunt & à solitis motibus in aliam, eamque regiam quasi, viam præcipitant. Nec aliâ ratione tot amuleta &

extus à vulgô appensa peritæ febres tollunt, nisi quod certâ, quâ ægri in eadem feruntur, confidentiâ archæum contra cursus periodicos quasi muniunt, h. e. inclinationem ad motum febrilem in spiritibus tollant, ne suctos hætenus motus p. n. ulterius repetant & reciprocant. Quid enim efficerent, aliud novem lignorum species, à Mulierculâ quadam hætenus appensæ? Quid aliorum Thrasorum characteres atque schedulæ, cum turpissimis illusionibus dicam an inscriptionibus verborum: *Hilffs niches so schads niches*: Vel *Fuchsbeis und Kohlenfeuer ist gut vor das Friesen*: Itaq. & in forô Medicô fides salyificat, siquidem fides est dicenda de testanda Vulgi superstitiô. Nec alia ratione Medicalstri & omni scientiâ destituti, solâ, quam in miseris de se accendunt, opinione & fiducia curando sunt felices, ut verissimum sit vulgare illud: Is plurimos curat, cui plurimi fiunt. Sed ut in viam redeamus, ea Nobis Sententia hæret, quod febrium aliorumque

morborum periodi non tam in crassa quadam & palpabili materiâ radicentur, sed à merò & automaticò spirituum & Archæi motu, vel si mâvis, propensione ad motum, deducendæ sint, id quod cum *Helmontio*, *Marco Marci* & aliis per ideam spiritibus impressam vulgò exprimunt. Hanc enim non tam in fictitiâ quadam imaginacula, in iisdem depictâ, nec in motu eorum actuali, ut *Croonius* apud *Willisium* censet, sed in motu quasi potenciali, h. e. propensione, & ut *des Cartes* sæpè loquitur, inclinatione ad motum consistere, probabile videtur. Equidem oprandum esset, ut hæc omnia specialius & apertius exprimere valeamus, in quibus acutissimis & Argo quoque oculatioribus usquedum aqua prorsus hæsit, cum spirituum animalium, sensus omninò fugientium, status usquedum fere incognitus sit, de quò speciosò hujus tituli commentariolo nuper *Elias Camerarius* Profess. Tubingensis. Quia tamen à quamplurimis hætenus spirituum substantia aut flammulæ vitali, aut lumini comparata fuit: Ipsa autem

flamma, altum petens, in gradus quosdam & plicas quasi formata facilius movetur, & si crassiori vel Minervâ vel exemplò declarare licet, charta semel complicata, in easdem plicas facilius relabitur, ut in laternis puerorum chartaceis videre licet; ita similis fortè plica & undulatio q. flammiformis, à fermentò febrili spiritibus quoque affricatur, quâ ad motum illum, quem in primò februm insultu observârunt, sæpius reciprocandum inclinatur & quasi necessitantur, idque in debiliore illorum constitutione quotidie, in firmiori alternis diebus & ita porrò. Quamprimùm verò vel per universalia fortior spiritibus motus fuerit impressus, vel per specifica consuetus rursus inducitur, febris ipsa cessare & curari videtur. Fusius hæc & clatius fortè explicari possent, nisi solum hæc abrupte jubeat alia & ab his diversa periodus, *Periodus* sc. *Academica*, quâ redeunte in circulum annò, juxta Academiæ hujus Leges & Statuta, ipsissimis Calendis Januarii, novum Academiæ Caput eligendum æquè ac constituendum erat. Scilicet

cet non tam continuos, quàm
 intermittentes affectus imitatur
 officium Rectore, quod si non
 animi quidam morbus, onus ta-
 men esset insupportabile, si non,
 exacta ejusdem periodò, novus
 respirandi locus esset. Multa
 quidem, imò infinita ferè sunt
 Divinæ Bonitatis argumenta,
 quæ durante Rectore mei
 curriculò LUDOVICIANÆ
 nostræ contigere, sive jam Do-
 centes, sive Discenses conside-
 raveris. Illic sc. Doctores &
 Professoribus omnis eruditionis
 genere Celeberrimis de novò
 aucta est: *Böttcheris, Rüdigeris,*
Arnoldis, Mollenbecis, Langis,
 æternitati jamdum operantibus:
 Hic vero tot Civium, ex parte
 quoque Illustrum, imò Illustris-
 simorum accessiones sensit, ut
 numerus eorum centenarium
 etiam exsuperet, quem & felici-
 ora magisque pacata annorum
 curricula rarò ante attingerunt.
 Non dicam de Speciminibus, à
 primâ Academiæ hujus Restaura-
 tione nondum visis aut auditis:
 Panegyricis sc. tot Serenissimo-
 rum Principum, Comitum, Ba-
 ronumque præsentia Illustribus:
 Discepcionibus & Declamati-
 onibus Hebraicis, Arabicis &
 similibus. Quæ omnia pace,
 qualicunque tandem, in Euro-
 pâ restituta coronavit Princeps
 pacis, JESUS Mediator noster,
 postquam illustre hoc Lyceum
 toto hocce bello decennali ab
 invasionibus & injuriis Marti-
 alibus immune hæcenus præsti-
 terat. Interim & adversis qui-
 busdam decantatam modò an-
 ni felicitatem distemperare vo-
 luit temporum hominumque
 invidia, quàm tot rabiosa & plus
 quàm ferina nonnullorum du-
 ella tandem in deplorandum
 & omninò tragicum homicidi-
 um desierunt, quo Civis Aca-
 demici, cæteroquin non adeò
 mali, cruore ad cælum nunc
 clamante, deturpata fuit Aca-
 demia, quem tamen non inultum
 sinet Jehova, justitia nostra. Ta-
 ceo alia, vix coercenda amplius,
 juventutis Academicæ carcino-
 mata, quibus adeò, si non exa-
 giratus, agitatus tamen fui, ut
 lætissimò nunc animò Aca-
 demica, quæ hæcenus mihi con-
 credita fuere, sceptra deponam
 & resignem. Depono autem
 eadem in humeros Viri Sum-
 mè Reverendi, Amplissimi &
 Excel-

Excellentissimi DN. JOHANNIS CHRISTOPHORI BILEFELDII, Ecclesiarum, quæ Christo in Agrò Darmstatio æquè ac Gissenò colliguntur, Præfulis & Superintendentis venerandi, Concionatoris Aulici Supremi, Consistorii Ecclesiastici Assessoris & Professoris Theologi Primarii: Theologi Consummatissimi; qui, ut paucis ab hinc horis, unanimitibus Procerum Academicorum punctis & suffragiis, in Caput LUDOVICIANÆ nostræ est electus, ita Eundem nunc RECTOREM ACADEMIÆ Magnificum renuncio, renunciaturum proclamo & ab omnibus Athenæi Nostri membris pro Capite suo & Magistratu legitimò haberi jubeo.

Tu vero salve, RECTOR ACADEMIÆ Magnifice, salve, & quæ Totius Senatus Academici nomine Tibi porrigo Infulas & *SCEPTRA* suscipe. Sceptra Regalis dignitatis sunt indicia, quæ non Sacratissimi modò Imperatores Academicas insignire, sed & ipse DEUS Scholas Publicas illustrare voluit, quum inter *alexandrias* recensuerit Earum Antecesso-

res; quæ de causâ neque Principes Dignitatem Rectorem declinare solent, sed sacratissimâ Personâ suâ illam sapientissimè illustrarunt, id quod haud minimum argumentum est, quò præter *Crusium*, *Middendorpium*, *Lanßum* & alios prærogativam ejus adstruit *Conringius de Antiq. Academ.* Bina autem sunt Sceptra illa, quò, ut duplici, amoris sc. & doloris, virgâ se instruebat Zacharias Propheta, ita duplici, gratiæ sc. & doloris sceptro sit instructus Rector Academiae, ut infantes & ingenuos unò protegere, alterò vero protervos & malevolos refrænare, ac ut Messias, impios virgâ ferreâ, contundere valeat. Ad utrumq; normam & formam præscribet *LIBER STATUTORUM*, qui Lesbia quasi regule est, quæ disciplina Scholastica, (quæ animam quasi Academicarum constituit) conservari debet. Addo tertio *MATRICULAM*, ut Oves Tibi concreditas semper in numero habeas, Easque Pastoris instar Boni, propriò nomine compellare possis. Porro *SIGILLA* offero, *MAJUS* & *MINUS*,
(D) 2 quò

quò priori Edicta publica, Programmata aliaque majoris momenti negotia promulgare: Posteriori vero literas peregrè mittendas aliaque testimonia, non nisi Dignis concedenda, roborare valeas. En & *CLAVES* ad *CONSISTORIUM* quò si ad Senatus Academici clavum sit sedendum, Proceres ad Syne-
drium convocare & de publicis, si opus sit, negotiis consultare valeas. Abhinc *ALIAS* AD *ÆRARIUM* (cui Summus ille Promus Condus benedicat) *PUBLICUM*, ut exinde, tanquam è cornu copię subsidia alendis Professoribus sufficientia haurire & Egenis simul succurrere valeamus. Ultimò tandem *CLAVEM MALÆ MANSIONIS* quoque ad-

do, quā effrahem & indomabilem proh dolor! Studiofæ Juventutis perviciam inhibere & sicubi vocationis suæ carceres excefferint, carcere & cancellis Eos coercere valeas. DEUS verò, qui omnis boni ordinis fons & Auror est, *Novum* hunc *Academiæ Rectorem Magnificum*, tanquam Lycei nostri Salomonem, Spiritu Sapientiæ & Fortitudinis instruat, ut omnia tum consilia ejus, tum Instituta vergant in Divini sui nominis de-
venerationem, Principis gloriam & Celebritatem *Academiæ* nunquam intermorituram! Tibi o Ter Sancte DEUS! sit LAUS, HONOS & GLORIA, IN SEMPITERNA SECU-
LA!

DIXI.



DE



DECLAMATIO PANE-
GYRICA IV.

DE

FASTIDIIS RECTORATUS
ACADEMICI.

Habita Giffæ die 1. Jan. An. 1700.

cùm secunda vice Fasces Academicas fusciperet.

Ita est, ANTECESSOR
MAGNIFICE, ita, inquam,
est, quod ægrius longè acce-
ptetur, quàm deponatur Mu-
nus Rectorale. Quò latiore
ergò mente fronteque magis ex-
plicata Fasces Rectorales abdi-
casti, & quò tristius futuris tem-
poribus modò prognost con sta-
tuisti: Eò tristiori & invitò ma-
gis animò easdem jam suscipio.
Novi enim & expertus novi,
quantæ molestiæ, quanta incom-
moda illis sint conjuncta, qui-

bus nullus omnino se subducere
valet, quicunque munus isthoc
gerendo conscientiæ non mi-
nus, quàm boni publici ratio-
nem habet; ut non mirum esset,
si, cui ordine votisque ita feren-
tibus, Sparta illa imminet, sive
cum Saule, sive cum Diogene
retro dolium se absconderet.

Quid enim SCEPTRA hæc
& SIGILLA, nisi splendida
miseria? Quid nisi pilulæ inau-
ratae, quæ licet splendore suò
primum oculos effascinent &
salivam quasi moveant, mox
tamen amaritiam, quam intus

recondunt, non sine labii tremore exserunt ac palato affricant. Sceptra venerationem exigunt & observantiam, saltem eorum, qui Lyceis & Academicis illa conferunt, respectu. Ast quàm exigua illorum venerationis observetur, reliqua, quæ Infulas hæc comitantur, monumenta arguunt: LEGUM sc.& STATUTORUM LIBER, CLAVES AD CONSISTORIUM & similia, quibus effraenis eorum, qui neque Principum insignia, neque Legum rigorem verentur, audacia & morositas coercenda est. Quam verò sic gratiam penes illos ineamus, scabiosa seculi protervia testatur, quæ non tam criminum, quàm Statutorum Recltorumque rigorem incusat, neque de culpæ, sed de poenæ, quæ jure meritoque dictabatur, acerbitate conquerentes Pravaricatores querulis suis, imò & injuriosis verbis compita non minus, quàm Compotorum angulos replere solent; adeò verum est, quod Cicero alicubi conqueritur, dum nimis multa, inquit, *audire coguntur, neque aliter facere possunt, quibus tota*

commissa est Respublica, adde & Academia.

Neque sola hæc & unica Magistratus Academici calamitas est, sed & altera nunc accedit, summa scilicet, temporum injuria, caritas annonæ & quæ rerum gerendarum nervus est, pecuniæ defectus, quorum altera in causâ est, ut sterilis & à Civibus desolata sit Academia: Altera verò reditus, unde victitant Docentes, incertos & tardiores efficit, ut neque MATRICULÆ, neque ÆRARIO PUBLICO, quæ utrobique simul heicce demandata sunt, pingues & optimæ hóc anno accessiones sint futuræ.

Nec, quod propius me concernit, reticendum erat, quòd cum à prioribus, quos ante biennium hóc ipso in locò abdicavi, laboribus Academicis vixdum hætenus respiraverim, verear omnino, ut humeri mei oneri huic ferendo pares sint.

Ast verum enim verò, sicut illic malorum proterviæ non facile cedendum, sed audacius contra eundem est; ita hîc Divinæ Providentiæ omnia com-

mitten-

mittenda sunt, quæ uti hætenus clementissimis benedictionis suæ radiis Academia Nostræ largiter affulsit, ita porro etiam sufficientia subsidia & adminicula suppeditabit, meæque imbecillitati paternè succurrendo robur dabit: lasso, viresque non valenti.

Quapropter in Sacro-Sancto Ejus Nomine jamsecundâ & forè ultimâ vice in me suscipio Facies Academicas, modò gratias primùm egero Magnificentiæ Tuæ, VENERANDE DOMINE ANTECESSOR, quòd tantâ cum dexteritate tantaque prudentiâ hætenus Muneri Rectorali præfesse, & per integrum anni, felicissimè nunc elapsi, eursum pro Academia hujus celebritate æquè ac incrementis quàm sollicita esse voluerit; & quemadmodum M. T. de exantlatis tot molestiis jam totius Senatus Academici nomine publicè congratulor, ita simul Deum veneror T. O. M. ut votis hodiè Tibi nuncupatis clementissimè pondus inesse Tuamq; Magnificentiam cum Splendidissimâ Familiâ in seram po-

steritatem salvam & incolumem servare velit, quòd pluries munere hocce publicò impostum defungi & unâ cum Academia inclutam Nominis sui famam æternitati consecrare valeat.

Non minores autem reliquis, quos circumcirca veneror, Proceribus Academicis, gratitudinis cumulos persolvo, quòd sub Electione Consistoriali tesseris suis atque calculis unanimibus suam mihi benevolentiam de novò contestari non dubitaverint, eoque ipsò documentò quodam publicò, non displicuisse sibi meam, quam ante triennium in Res Academicas impendi, operam, simul asserere voluerint; quam ut Bono Publico nunquam non devoti perpetuam, ita mea insimul officia omnibus & singulis ad nutum stabunt paratissima.

Tandem & VOS, CIVES Academiae Lectissimi, sine allocutione abhinc dimittere non licet; videor enim mihi nonnullos nimium, quò in priori Rectoratus mei anno usus sim, rigorem ob oculos Vobis ponere

nere & nescio quem timorem incutere. Ast cogitare, me eò quidem tempore, ceu Philosophum ad Clavum Academicæ sedisse, Legesque Academicas in rigore Philosophicò sumsisse & prout Serenissimi Nutritoris præsentia, conscientia propria & tranquillitas publica exigebant, explicasse. Quod si ergò quis dolorem inde senserit, eundem non illi, qui ulcus tetigit, sed materiæ peccanti intusque latitanti adscribat, oportet. Neque enim bonos unquam & genuinos Cives Academicos de me conquestos esse memini, sed homines quosvis perditissimos & nequissimos, si quidem homines vocandi sunt Scholarum excrementa & ad furcam parata carcinomata. Vos, Cives Nobilissimi, aliud à me expectabitis, præcipuè eò, quò ut Medico Fasces Academicæ mihi offeruntur, anno, quove methodo in Forò Medicò consuetà fors usus sum.

Duplici autem methodo agunt Medici, quarum alterâ sanitatem præsentem confer-

vant: Alterâ labefactatam restituunt. Utraque observanda erit: Priori Generosos, Probos & Solertes, h. e. Veros & Genuinos Cives Academicos curandos suscipiam, quibus omni benignitatis, humanitatis & officiorum genere ita complacere studebo, ut, si fieri posset, Eos vel manibus hisce portaturus sim.

Reliquos autem ab hisce degenerantes, h. e. Morosos, Impios & Flagitiosos alterâ, scil. Methodò Therapeuticâ integrum restituam, in quâ à lenioribus ad fortiora & drasticæ procedunt Medici. Quæmodum ergò juxta monitum Hippocratis, hîc omninò observandum, ea, quæ medicamenta non sanant, ferrum sanat, quæ ferrum non sanat, ignis sanat & c. ita Eosdem blandis primùm & lenissimis admonitionibus in viam reducere studebo, quibus irritis, ad ferrum, h. e. clathra & CARCEREM, cujus CLAVES hîc simul oblatos video, erit descendendum: Hisque non juvenibus, tandem igne & aqua refractariis inter-

interdicendum, h. e. Relegationibus, Exclusionibus & Proscriptionibus iidem, tanquam emeticis quibusdam aut cauteriis eliminandi erunt, siquidem ulcera foetida agrorumq; intemperantia crudelem faciunt Medicum.

Vos autem, GENEROSA PECTORA, ita Vos geretis, ut extremis hisce remediis non indigeam. Hoc enim mespere jubet Indoles Vestra, ad omnia Virtutum genera verumque eruditionis decus jam anhelans & composita.

Faxit Summus ille Deus,

ut quæ sub medio seculi, mox effluxuri, feliciter cœperat ACADEMIA LUDOVICIANA, sub ætate ejusdem seculi decrepitâ rejuvenescat ut Aquila: Faxit, ut novô flore induatur & in continuâ celebritate, sub Augustissimô regimine Nutritii Serenissimi floreat perpetuò! Floreat & æternum floreat Illustrissima Domus Hasso-Darmstatina! Floreat Univerſa Patria! Floreat Academia! Floreant Docentes! Floreant Discipuli! ita fiat Deus Bone faxis, fiat!

DIXI.



(E)

DE.

DECLAMATIO PANE- GYRICA V.

DE MEDICINA ILLEGALI & SUPERSTITIOSA.

In Acad. Giss. Praelectioni Legum Solenni praemissa,

Die 1. Julii Anno 1700.

ILLUSTRISSIMI DOMINI COMITES,
VIRI MAXIMEREVERENDI, CONSULTIS-
SIMI &c. &c.

IN *verbis, herbis & lapidibus* magnam latere vim, speciosô hujus tituli commentariô ostendere sategit *Job. Baptista van Helmont* magnus (ut audire gessit) per ignem Philosophus. Ast

.... *medio tuiissimus ibis,*
.... *medium tenuere beati!*

Medium autem herbæ occupant, amœnissimo hoc ætatis tempore in flores se induentes, in quibus uique non contemn-

dam ad edomandos affectus p.n. efficaciam latere, præter experientiam eleganter quondam *litterus*, tum propriâ, tum filiorum eruditione Celebris, expressit, quum Archiatro Hassio-Darmstatino, *D. Schrædero*, Pharmacopæiam Medico-Chymicam scribenti, accineret:

Herbis, non verbis, Medicorum est pellere morbos,

Herbis, non verbis, sunt medicina vita,

Herbis,

Herbis, non verbis sunt unguenta salutis.

Herbis non verbis redeunt in corpora vires.

Nec aliud sacra pagina intendere videtur, quando DEUM T. O. M. medicinam de terrâ creasse docet, quâ non tam mineralia, naturâ hominis non æquè proportionata, quàm potius herbas, frutices & arbores indigitari, verò quàm consentaneum videtur. Dolendum autem est nobilissimum herbarum studium ab Antecessoribus nostris iusto negligentius excultum fuisse, cum à diebus *Dioscoridis* (ut ante laudatus *Helmontius* conqueritur) adeò nil increverit ars herbaria, ut nonnisi herbarum iconibus, nominibus atque faciebus plantarum, ab ipsò traditis, utrinque duntaxat disputari, nil verò proprietatum, virtutum ac usus prioris inventioni adjectum esse observemus; quapropter non sine causâ vilescere illi coeperunt, non quidem herba (pentacula divini amoris) sed Herbarii. Ansam huic negligentiae fortè dederunt Sepulchriani atque Cinsiones Chymici, qui, nescio quò instinctu,

sapientiam plusquam Divinam cum Protoplastò affectando, separare non dubitabant, quæ admiranda venerandaque DEI omnipotentia conjunxerat. Hinc mox aquas inde destillabant, quæ nil nisi sudor & udor sunt herbarum, omni virtute crasque seminali destituta: Mox in extracta condensabant, h. e. mellagines omni spiritu & volatilitate cassas: Mox in salia cremabant, specificâ, ut loquuntur, qualitate & virtute orbata: Mox in magnata & pulres aliasque compositiones scsquipedales conquassabant coelumque terræ commiscendo virtutes illarum non tam exaltabant, quàm obruebant; ut mirum non sit, tot morbos incurabiles (à *Scidilio* ex professò enumeratos) non sine opprobriò & dedecore Artis, reperiri, quibus sine dubiò sua quoque in herbarum thesaurario antidota recondidit Sapientissimus omnium Creator. Scelus sanè detestandum est (verba sunt *Cratonis*, trium Imp. Archiatri) curare per composita, ubi simplicia suffecerint. Hæc autem plerunque sufficere, imò longè plura ma-

gisque gloriosa, quam varia inde confarcinata Composita praestare, non sine frenore Medicorum ipsa testatur experientia. Solò certè Cortice Peruvianò tot librarum millia in Gallià quondam lucrabatur *Talbotius* Anglus, quò ne teruncium quidem essentiis, salibus, mixturis atque bolis suis reportarent alii, purgando, sanguinando & clysterium donando Celebres Medicastrii. Solà quoque linaria, herbula vilissimà & ab omnibus insuper habita, taurum annuatim merebatur Archiater Hassiacus *D. Wolffius*, quò alii unguentis suis & linimentis, ex eadem liniarià paratis, ne hilum proficerent. Taceo singulares & específicos effectus Cinnamomi in Ventriculi, cordis & uteri infirmatibus: Scrophularià in hæmorrhoidibus furentibus: Croci in morbis pectoris: Bellidis in inflammationibus internis: Hederaë terrestris in ulceribus viscerum: Cochlearià in scorbuto &c. Hinc multa anus, simplicibus contenta, felicior saepe est omni Medentum catervà, majoresque propediem accessiones dubio proculescunt Artis Medicæ pomœ-

ria, postquam nostris diebus studium herbarum felicius & majori cum fervore tractari cœpit, cum nova, quæ nunc à *Morisono*, *Rayo*, *Ammanno*, *Hermannò*, *Camerariò*, *Nebelio* & aliis calcatur methodus, non tantum ad dignotionem & distinctionem herbarum magis apta nata sit, sed & ad vires illarum detegendas quamplurimum contribuat, ut in eleganti, de *convenientiâ plantarum in fructificatione & viribus*, dissertatione haud ita pridem *Dn. Rudolphus Jacobus Camerarius*, Comes quondam Itineris mei dulcissimus, ostendit. Quod II. Lapidès concernit, neque in illis magnam vim latere iverò inficias, cum primis animalibus, lapide bezoartico utroque, lapide porcino, argropilis, oculis &c. & similibus, cum quæ de Gemmis aliisque mineralibus nonnullis lapidibus tradunt *Plinius* & alii, rationi & experientiæ adeò non respondeant, ut manifestam potius superstitutionem splendidaque commenta sapiant. Quis enim tam vesanae mentis erit, ut adamantem conjugum amorem physice conciliare: Smaragdum ab actu adulterii: Turcoidem à casu:

Rubinum

Rubinum à tristitiâ & peste præservare crederet : nisi fortè characteres, sculpturæ & figuræ Talismanicæ accesserint, quæ tamen Diaboli magis, quàm lapidum virtute agunt & Bootio teste, primum ad Magiam gradum efficiunt. Quid verò III. de verbis : an & hisce vim quandam Medicam, eamque naturaliter agentem, inesse dicendum? Equidem ita non tantum ineredita plebecula, sed & Medici quidam Antiquissimi, *Alexander Trallianus, Marcellus, Nominus, Dioscorides, Serenus, Marcellus Ficinus*, alique sentire videntur, adeò quidem, ut *Plinius* admiranda in foro Medicò, tum carminum vi, tum verborum opere effecta esse palam attestetur. Neque ignotum est *Paracelsum, C. Agrippam, Arnoldum de Villa Nova & Authorem Clavicula Salomonis* verbis ejusmodi & characteribus quamplurimum tribuere. Ast merito utrisque jam supra laudati *Iulii epicrisin* opponeres, qui paulò post ita pergit:

Verbis, non herbis stolidorum est credere corpus

Curandum : Ergò abeant procul atque facessant

Et vetula & Lamia & varium genus Impostorum,

Verbis, non herbis, qui curant corporis artus,

Verbis, non herbis, quarunt medicamina vite,

Verbis, non herbis, faciunt unguenta saluti,

Verbis, non herbis, reparant in pristina vires.

Ne verò sine ratione & non cognitâ prius causâ curas ejusmodi verbales sive damnare, sive rejicere videar, non malè nec impertinenter me acturum confido, si hæc, qua juxta normam Satutorum Academicorum, solenni Legum repetitioni verba quædam, è Professionis & Facultatis meæ penu, præmittenda sunt, horâ, Splendido huic Auditorio

MEDICINAM ILLEGALEM & SUPERSTITIOSAM

ob oculos posuero, & an quis salvâ illâ conscientiâ possit uti? vestra, Auditores omnium ordinum

num Honoratissimi, Benevolentia fretus, infimul addidero.

Equidem, si quis zizanium illud, quod infensissimus humani generis Adversarius in sacris sparsisse legitur, varias superstitionum species esse dixerit, is meo quidem iudicio parum, aut omnino non a scopō aberrabit. Adeo enim per omnia naturæ regna se diffundit hocce lolium, ut nullibi non Satanica se exserat Idololatria. Sic in Regnō Vegetabili nulla ferè plantula, nullum seminium sine variis superstitionum scandalis ipsi terræ committi videas. In Regnō quoque Minerali abscondita in terræ visceribus metalla superstitiosa virgulâ Mercuriali seu Divinatoriâ indagari res in vulgus quam notissima est. In Regnō porro Animalī superstitionum plena sunt omnia. Quid enim pecora & iumenta in istabulis alit? superstitio. Quid eadem in campum educit, indequereducit? Superstitio. Quid morbos & infortunia illorum abigit? Superstitio. Quod vero prorsus derestandum, nec ipse tandem homo, non frustra

anima rationali à summō rerum Conditore donatus, à bruto & absurdissimō superstitionum barathro est immunis, adeo quidem, ut vix in lucem edatur, quàm ludicris vetularum superstitionibus contaminetur, alatur, educetur; quæ tam altas in mente illius radices agunt, ut neque in adulta maturaque magis ætate ab illis se facile abripi patiatur, ut in statu p. n. cumprimis observare licet. Quamprimū enim morbus fortè contumaciore leviusculis remediis obtemperare recuset, ad ultimum desperationis remedium deperant canaliculi, dicendo

Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo.

Hinc illæ lachrymæ! hinc tot curæ magicæ & ut palliari solent, sympatheticæ! hinc characteres illi Diabolici, verborum murmura & ceremoniarum plusquam mimosæ, quibus cultum sui occultare solet Princeps huius seculi. Scilicet ut Thrasones Medicastrī nil nisi arcana & secreta horribilia jactare solent, utut, ad ipsam veritatis bilancem examinata, nil nisi vulg-

tissima sint remedia, novô tantum nomine insignita: Ita verbis illis superstitiosis, barbaris & incompofitis fecretorum fuorum thefaurum abfeondit Medicafter Infernalis; quibus eò majora periculorum præcipitia jungit, quòd fanctiffima S.S. Trinitatis nomina plerunque iis maritare folet, ut fub fpecie pietatis & umbrâ eò majorem penes credulâ nimis plebeculam applaufum mereatur. Nî grave fuerit, Auditores, per univerfum morborum Oceanum eamus, eâdemque, quâ in Praxi fieri folet, methodo, hanc MEDICINAM ILLEGALEM percurramus, ut juxta III. Corporis Humani regiones hoc Augiæ ftabulum eò pronius & contemplari & repurgare valeamus.

Adeoque ut â Capite exordiar inter affectus ejus agmen ducit

EPILEPSIA,

morbus fonticus, contra quem in Scholâ Satanæ Superftitiofâ fequentes rhythmî, tanquam fæta anchora laudantur:

Caffar fert myrrham, thus Melchior, Balthafar aurum,

Hæc tria qui fecum portabit nomina Regum,

Solvitur à morbo Chrifti pietate caducô.

Remedium hoc in locis Romano-Catholicæ Religioni ad dictis adhucdum receptiffimum effe, teftantur fchedulæ in introitu Ecclefiæ Cathedralis Colonienfis venales, hæc cum
 „ infcriptione: Schedulæ hæc te-
 „ tigerunt capita fanctorum Re-
 „ gum, Coloniae feptulorum.
 „ Refiftunt igitur omni infor-
 „ tunio peregrinantium, dolori
 „ capitis, epilepfia, febribus, in-
 „ cantationibus &c. Alii arrepta agroti manu, auribus ejus immurmurant: Adjuro Te per Solem & Lunam & hodiernum Evangelium, à Deo traditum D. Huberto, Egidio, Cornelio & Johanni, ut furgas, nec in terram relabaris, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Alii cum *Mendoza* in aurem Epileptici devotè recitari jubent: Purget & munda & muniat nos titulus triumphalis: *Jefus Nazareus, Rex Judæorum*. Porro in
 CE-

CEPHALALGIA.

Marcellus suadet: Quùm intra-
bis urbem quamlibet, ante por-
tam, inquit, lapillos, qui in viâ
jacebunt, quot volueris, colli-
ge, dicens tecum ipse: Ad capi-
tis dolorem te remedium tolle-
re & ex iis unum capiti alligato,
reliquos post tergum jacta, nec
retro respice.

SI QUID OCULIS IL-
LAPSUM, UT IN LIP-
PITUDE

oculorum, idem mirificè & sine
dubitatione prodesse dicit, si
in chartâ virgine scribatur &
collo dolentis licio suspenda-
tur vox *φάρμακον*, hocque præ-
ligamen quis purus & castus fa-
ciat, oportet. Adeò, scilicet!
puritatem & castitatem amat
Spiritus immundus & spurcissi-
mus. In

VARIS & HORDE-
OLIS

oculorum, annulos digitis exi-
mi & sinistrae manus digitis tri-
bus oculum circumtenendo ter
despuere, terque dicere jubent:

Rica, rica, sorò. Vel: Nec
mula parit, nec lapis lanam fert,
nec huic morbo caput crescat,
aut si creverit tabescat. Alii
Græcissantes accinunt: *Κύρια, κύ-
ρια, κασσάριον, σήρωθρι.*

Sic in

HÆMORRHAGIA
NARIUM

novies verba: *σύντοκαμ ενκύμα*
mussitant, aut præmissò S.S. Tri-
nitatis nomine sequentem exor-
cismum adhibent: Sepa, Sepa-
ga, Sepagoga, sta sanguis, con-
summatum, in nomine Patris
podendi & Filii pandera & Spi-
ritus sancti pandorica: Pax
tecum, amen. Alii trinâ cir-
cuitione, ter dicunt: super aspi-
dem & basiliscum ambulabis &
conculcabis leonem & draco-
nem. Ad aliarum verò parti-
um hæmorrhagias sistendas u-
tuntur vocibus: Soc non, loc
non. It. charat cara sarite, con-
sona imaholite.

Contra

STRUMAS & SCRO-
PHULAS

commendant seqq. diminutiva:
Albula glandula, nec doleas,
nec

nec noceas, nec paniculas facias,
sed liquefas, tanquam Θ in aquâ.

Vel: Novem

Octo

Septem

Sex

V

IV

III

II

glandulæ sorores

nulla sit glandula. En novam
& ridiculam Satanæ Arithmeti-
cam, è plurimorum numero-
rum additione in nullitatem me-
rumque nihil desinentem! Non
minus absone in

UVULÆ LAXA- TIONE

æger manus supinas à gutture
ad cerebrum ducendo dicere ju-
betur: Crissi, crasi, cancrasi.
Aut: Uva uvam cinendat.

Ad

ODONTALGIAM

mirificum experimentum *Mar-*
cellus esse dicit, si quis die *Mar-*
tis, luna decrecente, septies di-
cat: Argidam, margidam, stur-
gidam. (ô stultitiam!) it. gal-

bes, galbat, galdes, galdat.
Strigiles falcesque dentatæ, den-
tium dolorem perfanate.

In

ANGINA

Jejunus jejuno præcantare jube-
tur: Exi hodie nata, si ante na-
ta, si hodie creata, si ante creata,
hanc pestem, hanc pestilentiam,
hunc dolorem, hunc tumorem,
hunc ruborem, has tolles, has
tonfillas, hunc panum, has pani-
culas, hanc strumam, hanc stru-
mellam, hanc relegendem evo-
co, educo, excanto, de istis
membris medullas. Quod si
verò os vel ALIUD IN FAU-
CIBUS aut gulâ hæserit, nihil
præstantius esse putant his cat-
minibus:

Μη μοι γοργεῖν κεφαλὴν δεινὸ πει-
λῶμα
Εἰς αἶδος πέμψειν ἐπαίτη περισφαι-
νεία.

Alii apprehenso ægri gutture
dicunt: Blasius Martyr & Ser-
vus Christi dicit: aut adscende,
aut descende. Plura sis, vid.
apud *Marcellum*. Ridicula hæc
historia incidit, de Pastore quo-
dam nugivendolo, qui ad pau-
perculam, ostiatim stipem peren-
tem,

(F)

tem, sive jocò, sive seriò dixisse fertur: En! artem te docebo, quâ honeste victitare poteris; offerens illi schedulam, contra omnis generis morbos de collò suspendendam, cui: *hilsts nichts/so schads nichts* / inscripserat. Muliercula remedio confidens Praxin Medicam exorditur, nec infelicitè. Quemadmodum enim mundus regitur opinionibus, superstitionibus autem alitur, ita brevè summam experientiæ famam sibi conciliavit. Accidit autem, ut Eidem Pastori, quò Magistro usa erat, homini fortè gulosò, os in gulâ, per transversum illuc actum, hæserit, quod à nullo hætenus Chirurgo prehendi aut educi poterat. Advocatur ergò foemina quædam, curis hætenus admirandis celebrata, quam cum eandem Mendicam, cui schedulam illam tradiderat, agnosceret, in tantum resolutus est cachinum, ut os in faucibus contentum subitò exploderetur, non sine nova Medicastræ celebritate, ut ut eventus eodem jure huic adscribendus fuerit ac Astinæ Phthisicum curanti, apud Dn. Bernicium, aux essais de Mede-

cine Part. 2. c. 15. Refert enim Gallus hicce, quòd cum asina ad agonizantem, cui apostema internum suffocationem minabatur, ex improvissò delapsa fuisset, strepitu & anhelatione suas tantas anxietates concitaverit, rictus bestię declinandi conatus, ut hinc naturæ motus adjutus ruperit abscessum, sicque excreta materiam morbificam moribundus revixerit. Sed hæc quasi cum. Pergendum nunc ad morbos II. Regionis, h. e. Thoracis, ubi

FEBRES

omnis generis se trudent, è quibus Febrem QUOTIDIANAM ut curarent, panimissali inscribere jubent: ô febrem omni laude colendam: In altero: ô languorem sanicui & gaudiis adscribendum. In tertio: Pax, max, fax. Ad TERTIANAM verò & HEMITRIAEUM supersticiosum, sed decantatissimum illud Abracadabra, in conijuram redactam, appendunt, de quo Serenus ita canit:

Inscribis charta, quod dicitur Abracadabra

Sapius & subter repetis; sed detrahe summam

Et magis atque magis desint elementa figuris,

Singula quæ semper rapies & cætera figes,

Donec in angustum redigatur literarum conum.

De Psalmi XCI. contra PE-STEM abusu, res est quam notissima.

Inter affectus III. Cavitationis seu Abdominis radiosissimus omnium est

ICTERUS,

quem præter innumeras ferè curas Magico Magneticas verbis quoque curare sustinebat Pastor quidam & Ecclesiæ Minister in viciniâ, phuy qualis! qui non sine summa adstantium indignatione & horripilatione ægrum in culinam deductum, tribus vicibus, in totidem foveolas, in cineribus digitis paratas, expuere jubebat dicendo: Galbule & Tabes, tu me enecare satagis, ego verò te enecabo, in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti: Eo quidem cum successu, ut paulò post & icterus

& æger, miserrimè seductus, perierint ambo.

Sic &

HYDROPEM,

seu Aquam Intercutem Hadrianum Imperatorem verbis quibusdam eduxisse, *Calius Aurelianus* autor est; ast credat Judæus Apella.

De

MALO ISCHIA-DICO

autem *Wierus* habet, quòd carmine à Theophrasto sanetur verbis sequentibus: Danata Daries, Dardaries, Astaries. Quæmadmodum &

ARTHRITIDEM

arbuscula quâdam, verbis gestibusque ridiculis terræ implantandâ, curari toto die, rem puto nemini non cognitam.

Facit huc Exorcismus Papiolarum contra

PARTUM DIFFICILEM,

quem in itinere quondam, haud procul à Naneto, Lotharingæ Municipiò, in Divi Jacobi fanò (F) 2 reperi

reperi : Anna peperit Mariam :
 Maria Salvatorem : Elisabetha
 Joh. Baptistam : Maria Jacobi
 Jacobum de Galiciâ ; sic mulier
 ista pariet illaesa : Puer, qui es in
 utero, sive mas, sive foemina, ve-
 ni forâs, Deus Te vocat !

Necrandem in Morbis Exter-
 nis & Chirurgicis se otiosos præ-
 bent Operatores Satânici, qui

PARONYCHIAM

verbis sequentibus, tertiâ vice
 reperendis parietem semper di-
 gito feriendo, curant, dicen-
 do : Pu, Pu, Pu, nunquam ego Te vi-
 deam per parietem repere.

In

MORSIBUS autem HOMINIS aut BRU- TORUM

ter novies dicunt : Stolpus à
 coelo cecidit, hunc morbum Pa-
 stores invenerunt, sine manibus
 collegérunt, sine igne coxerunt,
 sine dentibus comedérunt.

In specie verò contra

MORSUM VIPERÆ

laudent verba : Caro Caruze sa-
 num reduce, reputa sanum, E-

manuel Paracletus ; quemad-
 modum contra

MORSUM CANIS RABIDI

præter alia commendat : Prax
 Caspar, prax Melchior, Baltha-
 far prax, max, DEUS ymax. Sic
 infimæ sortis nobilem cognovit
Wierus, simili curatione cele-
 brem, qui pomi (ægro pro-
 pinandi) particula inscribit :
 Hax, pax, max, Deus adimax.
 Apud *Schenckium* autem ex Ne-
 apolitano quodam *Jovianus Pon-
 tanius* carmen adfert, quo adver-
 sus rabiem utantur demorsi, ita
 se habens :

Alme Vitbe Pelicane

Oram qui tenes Apulam

Litusque Polignanicum

Qui morsus rabidos levas

hasque canum mitigas.

Tu sancte rabiem asperam,

Rectusque canis luridos,

Tu sevam prohibe lucem.

I procul hinc rabies,

Procul hinc furor omnis abesto!

Habetis, Auditores OO. HH.
 praxin vulgi supersticiosam, quâ
 non minimam in verbis efficaci-
 am latere sustinent.

Aut nunquid resina non est in Galaad & Medicus non est ibi? usque quò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Sin autem Baal, sequimini eum! quid enim luci cum tenebris commercii? aut Belial cum Christo?

Apage cruentum Moloch! apage fraudulentam Satanæ medelam, quâ dum corporis extus se conservare simulat, animam venatur, imò lucratur Circulator astutissimus. Hunc enim sive tacito & implicito, sive manifestò pacto authorem veneratur barbara & vel monstrosi vocibus abscondita, vel sanctissimis DEI nominibus turpiter incrustata Medicina, quam merito illegalem, inutilem & homine prudente, nedum Christianò, prorsus indignam esse dixeris; adeò quidem, ut dubius & anceps hæsissem, an turpissimas illas & ineptas voces in splendido tot Virorum Illustrium confessu eloqui an silere debuissim? nisi recitasse illas, simul refutasse putassem.

Equidem I. illegalitatem ejus in utroque testamento do-

cet Sacra Pagina, utpote quæ omnibus aut nomine DEI in vanum usurpantibus, aut ad Magos & Ariolos, ut fornicarent cum iis, declinantibus æternum exitium portendit; quod Sauli Mulicrem Pythonem habentem in Endor interroganti morte expiandum erat. Nec immerito Imperatores nobiles & ignobiles sub capitis damnatione puniri jubent in *Lege XII Tab.* S. qui fruges Divus *Augustinus* verò ab Ecclesiæ communione omnes excludit, qui in collectionibus herbarum carmina dicunt, characteres ægrotis ad sanandum imponunt; prout in *Concilio Turonensi* sub Carolo Magno quoque ligaturæ falsæque inscriptiones, quas imprudentes pro morborum curationibus juvare credunt, ne à quoquam fiant, inhibentur.

Sed videor mihi quosdam oggannire: Nil sapiusculè, quàm sanctissima DEI nomina adhiberi, imò expressè in Scripturâ sacrâ præcipi, ut omnia fiant in nomine Dñi nostri Jesu Christi. Aut liceat hîc *Lutheri* nostri verbis respondere; qui è Zelo & fervore Theologico: Hoc, inquit,

quit, Diabolus tibi in caput refarciat. Neque enim hunc in finem verba illa data sunt, ut illis superstitiosè abutaris, sed ut fidem illis habeas & adhibeas ad doctrinam, ad redargutionem, ad institutionem, quæ est in iustitiâ. Quò sanctiora ergò sunt, quibus abuteris nomina, eò maius & horribilius est, quod committis crimen.

Nec obstat 2. hanc medendi consuetudinem à Majoribus nostris nunquam non impune observatam fuisse, adeoque vel antiquitate solâ se tueri posse, cum antiquissimum quodve verissimum. Si enim hæc excusatio valeret, nullum non peccatum esset licitum, cum in Paradiso statim inceperit. Ebrietas jam Noë temporibus se turpiter dando esset licita: Nec incestus, à Lortho commissus, improbandus & quæ non?

Neque 3. Experientia, quæ morbos, etiam pertinacissimos, ita sanari testatur, quidpiam evincit, cum oracula olim vera dixerint, ut ut cane pejus & angue fugienda. Hæc enim Diaboli est astutia, ut corporis & fortunæ rationem habeat, quò

animam, cui unicè inhiare solet, lucretur.

Quamvis II. certissimum sit, omnem illam, quam Diabolus & mancipia ejus adferunt, medelam, simulatam, fictitiam, umbratilem, adeoque & inutilem observari. Vidi, inquit *Fernelius*, scriptâ chartulâ collo subnexâ, universi corporis ictum unicâ nocte detergeri: Vidi febres verbis & ceremoniis quadantenus profligari, sed quæ mox deterius multo recurrebant. Nam licet possit Dæmon integrè persanare, id tamen beneficium in hominem, quem perpetuâ insequitur invidiâ, conferre nequaquam vult: Fictam solùm simulatamque exhibet sanationem &c. Hinc & *Fallopianus* alicubi curas illas recidivationis periculò plenissimas, adeoque capriosas, fallaces, nec certas, nec tutas, sed noxâ plenas esse docet. Possem hic notabilem Magnatis cujusdam, paucis abhinc annis à suspensio hujuscemodi Medicastris quadantenus restituti, mox tamen rec udescendo morbo miserâ demortui observationem recensere, sed exempla sunt odiosa.

Quis ergo sanæ mentis III. vitam suam vano & inani verborum murmuri, aut ridiculæ ceremoniarum gestulationi committeret, quæ inter & ipsum morbum nulla est proportio? Nullus est, inquit *Thurrianus*, qui agros suos Villico, rusticarum rerum inexpertus: Nullus qui ædificationem alienissimo ab Architecturâ: Nullus qui pecuniæ curam & dispensationem hujus rei Imperito commendet; & videas homines, sanitatem auro contra pretiosiores, imò vitam sortilegis & Doctoribus Sympatheticis committere, omni scientiâ cassis. Salem sane redolet responsio, quam Thraconi cuidam dedisse legitur Vir Eruditus atque Prudens, de quò magnum illud decus Lipsiensium *D. Bohnius in Diss. i. de Officiò Medici*: Memini, inquit, magnæ simplicitatis ac ruditatis Empiricum, cum aliquando penes Virum Eruditum & Prudentem Praxin suam deprædicaret, in specie, quod demens aliquis medelæ suæ se submiserit, ab hoc responsum tulisse: Nisi stolidus Iet, qui medelam à Te expectat, Medicum Te nunquam

voluisset. Ita nisi stolidi essent, qui verbis & characteribus seculari patiuntur, nunquam se Medicis ejusmodi committerent. Adeoque eò minorem commiserationem merentur, si tandem debitas stoliditatis suæ pœnas luant, & per quod peccant, per idem puniantur item; haud aliter ac Officialis ille Regius in Galliâ, qui Circulatoribus & Agyrtis nimium favendo, tandem ab hujus farinae sociò interemtus dicitur, referente hoc amicissimo Collegâ nostrò, *Carolo Patini*, qui in *Epist. 149.* sequentia de eò habet: Il est mort de la main d' un Charlatan, lui même, dont la charge estoit de chasser cette sorte des gens.

Utinam ergò hujus periculò cauti discerent, qui ad Clavum Reipublicæ sedent! utinam omnes illicitis ejusmodi & superstitiosis rem diorum generibus utentibus aquâ & igne interdicerent! Utinam

Ne fingat se Medicum qui vis Idiotæ, Sacerdos,

Judeus, Monachus, Histrio,

Tonsor, Annus

Miles

*Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix &
Arator,*

*Lamia, Decoctor, Pharmacope-
la, Magus,*

sancitis jamdum Legibus inhærendo prohiberent! Magistratus enim in culpâ sunt, qui vagam ac publico perniciosam licentiam medicandi non coercerent & *arabes* veræque artis protinus ignaros Impostores à Republica non expellunt, ut Pientissimus Jctus, *Abas* verus *Fritschius de Medic.* Peccatis cap. i. ferio dolet. Non possum non publicè hic dilaudare generosum Illustris Senatus Francofurtensis institutum, quò famosum illum Doctorem Sympatheticum, non ægrotum corpori, sed illorum lotio medicinam faciendo celebrem, utut publicè in Doctorem alicubi promotum, urbe nuper ejecerunt. Nec reticenda est Illustris Regiminis Principalis h. l. cura plus quàm paterna, qua sub auspiciis hujus anni, simili Empirico & Dentifrangibulo, cui jam alii Minorum Gentium Dii fores & os stentoreum publicè aperuerant, idem laudabili conatu obturârunt. Reliquos er-

gò ab his de viantes Judices cum Marcello Palingenio ita liceat jam alloqui:

*Omifera leges, quæ talia crimina
fertis!*

*O coeci Reges, qui rem non cerni-
tis istam!*

*Vos, quibus imperium est, qui mun-
di fræna tenetis,*

*Ne tantum tolerate nefas, hanc tolli-
te pestem!*

In cœlum proh dolor! adhuc clamat vox sanguinis innocentis, à Sicariò Medicaastro hoc in locò nuper effusi, qui usque dum in viscera miserorum fure non desinit; cui malo, si non tempestivè abiis, quorum munus id est, obviam eatur, beneficium posthâc non criminis, sed artis erit, si modò ars nominanda turpissima hominum nequitia.

Ast ne eadem, quam aliis jam exprobro, incuria, legum inquam & justitiæ negligentia, sive toti Senatui Academico, sive meæ tenuitati opponi possit, ad ea jam descendo, quorum causa splendida & illustris hæc Panegyris congregata est.

Scilicet, ut de normâ Studii
linguæ

singulis annis publicè admoneantur, cautum est à Serenissimo Legislatore, ut in Confessu Professorum Solenni Calendis Julii Statuta Academica, quatenus ordinem Studentium concernunt, per Notarium Academiae publicè prælegantur, idque Re-
tori curandum relinquitur.

Quemadmodum igitur meâ ex parte legem hanc curæ mihi

cordique esse iussi, ita tuam jam persolve fidem, Notarie Academicæ Publicæ,

FRIDERICE RIEDEL

solve inquam fidem Tuam, & à librò statutorum *Tit. LXXV. De Officio Studiosorum* voce elatâ non minus, quàm articulatâ prælege.

Hic

interponitur Legum repetitio.

EPILOGUS.

HÆc ferè sunt, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI, quæ à Vobis exigunt Statuta Academica. Eadem nempe sunt, quæ sub primâ nominum vestrorum immatriculatione stipulatâ manu promissistis. Stipulati autem estis pietatem infusam erga Deum: Devotissimam venerationem erga Principem Nutritum: Observantiam erga Docentes: Diligentiam in discendo: Pacem & amorem erga Commilitones. Quam egregiè

verò legibus hisce steterint tranquillitatis publicæ turbatores, tristis aliquoties experientia docuit. Fuèrunt enim, qui petulcis frontib⁹ concurrente alapis se exceperunt prensisque capillis humi prostrati canaliculorù instar in lutò se volutârunt. Fuèrunt, qui à verbis ad verbera dilabentes scipionibus sudibusque præcussis se tractârunt. Fuèrunt, qui ob levissimas injurias, quas neque per se, neque per alios se vindicatu-
ros esse jurârunt, sic-

(G)

ria

riâ manu strictoq; ense Commilitones suos vulnerârunt, indeq; nonnisi sanguine è venis saliente discesserunt. O tempora! O mores! O detestanda Vitæ Academicæ ulcera! Ulcera inquam, non herbis aut emplastris, sed tuo, DOMINE! verbô tantùm sanabilia. Hujus ergò vi & efficacîâ tandem respiscite, CIVES IMMORIGERI! respiscite quârto & ad frugem Vos recipite. Hujus quoque vi & efficacîâ CIVES genuini, ob pietatem, solertiam & modestiam bonis omnibus Exoptatissimi urgeant porro & continuent, quod in Dominò cœperûnt, opus! ita largissimam DEI benedictionem, Magnatum patrociniûm, Parentum gaudium, bonorum applausum, verbo: Salutem & temporalem & æternam sibi promittere, certoque expectare poterunt.

Tu verò, SUMME DEUS!

qui das sapientiam sapientib⁹ & scientiam his, qui pollent intelligentiâ, rege, doce & flecte animos discendum, ut cautè agant, juxta verbum tuum. JESU, fons omnis Sapientiæ, qui vix annos XII. natus Doctores in templò, scripta Prophetarum enarrantes, attentione decenti audivisti & interrogasti: Largire, quæso, tuam omnibus gratiam, ut prompto docilique animò sine amaritudine, inobedientiâ ac somnolentiâ mentis studiis incumbant, Spiritusque Sanctissimi motibus & operationibus locum concedant. Incipe ô alma Trias, & benedicito Academiæ Nostræ, ut semper Tibi grata & Ecclesiæ salutaris sit, quia Tu Domine, locus es hæc & benedictione Tuâ benedicetur Alma Ludoviciana. Fiat! Fiat!

DIXI.

✽)(o):(✽

DE



DECLAMATIO PANE-
GTRICA VI.

DE

ELIGENDO NOVO RE-
CTORE.

Habita Gisse-Hassorum, die V. Jan. Anno 1701.

P. P.

DE Confucio, Celebri Sinen-
sum Philosopho refert Au-
tor Scientiæ Sinicæ, quòd ali-
quando discipulum suum *yen*
yen sequentibus allocutus fue-
rit: Qui evocati adhibitique
ad munia publica actutum &
sine tergiversatione capeſſa-
mus Rempubicam: Rursus,
qui amissâ dignitate illâ, illicò
& sine querimoniâ molestiave
animi privati latitemus domi
nostræ, soli (opinor) ego &
tu sumus ejusmodi. Ast fallit
opinio mundum, fallit & *Confu-*
cium. Non enim is solus aut di-
scipulus ejus ejusmodi sunt, sed

de omnibus idem Rectoribus
Academicis, ut opinor, est di-
cendum. Ad minimum idem
de me liceat subsumere, qui hor-
no tempore ab Amplissimo Se-
naru Academicò ad munia Re-
ctoralia evocatus actutum pari-
ter ac sine tergiversatione capeſ-
si Rempubicam literariam:
Nunc verò abdicatâ dignitate
illâ illicò & sine querimoniâ pri-
vatus latirabo. Prius jubeant
Statuta Academica, jubeant &
vestra, Patres Academiae, suffra-
gia unanimia, quibus obstrepere
piaculo mihi duxi. Posterius
suader observantia in legibus ra-

(G) 2

dicata

dicata, quæ munus Rectorale non perpetuum, sed ambulatorium esse volunt, ut alternâ requie se mutuò sublevarent Facultates Academicæ. Quapropter sine ullâ querimoniâ, sine ullâ animi molestiâ molestissimum Rectoratus Academici munus in eorum resigno manus, è quibus idem susceperam: de judiciò æquiorum rerum æstimatorum prorsus securus, cum salute Academicæ nihil sanctius, nihil antiquius mihi fuerit, utpote quam Serenissimus Legislator pro summa lege esse jubet Rectori Academicæ; quapropter si iis, qui sub quocunque juris prætextu reditus Academicæ suis facultatibus adiecerunt, ægre fecisse aut nullo habitu respectu cognitionis & amicitiae contra prudentiam, ut filii hujus seculi loquuntur, Academicam egisse videar, facile me excusabunt tot anathemata & execrationes Serenissimorum Fundatorum, quibus aeterna non minus quam temporalia supplicia minantur iis, qui bona Academicæ vel justo negligentius vel malâ fide curaverint.

Vobis autem, Patres Academicæ Venerandi, gratias ago prolixissimas, quod per totum officii hujus decursum ope vestra & consiliis mihi succurrere, & in rebus gravioribus adjutorium vestrum commodare volueritis, quò ut obstrictissimum me proficeor, ita sedulam navabo operam, ut omnibus & singulis meis posthâc officiolis rursus inservire valeam.

Restat igitur, Proceres Academicæ, ut alium Vobis constituatis, cui Sceptra Academica commendetis. Non desunt Vobis Viri omni laude, omni dignitate, adeoque & hoc munere dignissimi; hinc ne quis alius nisi talis eligatur, omnino prospicite. Modum & limites nobis ponunt Statuta Ludovicianæ, quorum tenorem ut sciamus, haud grave sibi ducet Vir Consultrissimus, *Dn. D. Herthius*, Syndicus Academicæ Gravissimus & *Tit. XIII. De Electione Rectoris* clarè & distinctè præleget. DEUS autem T. O. T. M. Supremus Orbis Rector actui huic Clementissimè benedicat!

POST ELECTIONEM.

JActa est alea & quidem felicissime! communibus enim & unanimibus Patrum Conscriptorum suffragiis in Rectorem Academiae Magnificentissimum est electus Illustrissimus Comes, DN. GEORGIUS FRIDERICUS, Burggravius de Kirchberg, Comes de Sayn & Wittgenstein, Dominus in Farnroda &c. huicque tanquam Pro-Rector Magnificus adjungendus Vir Admodum Reverendus, Excellentissimus atque Acutissimus, DN. JOH. BARTHOLOMÆUS RÜDIGER, Log. & Metaph.

Prof. Ordinarius. Est ergo de quo gratuler Academia, quæ Tertium mox ex eadem Familiâ Illustrissimâ Caput Academiae numerabit. Est de quo gratuler Magnifico Dn. Pro-Rectori, quod tam Splendidi Capitis Vicarius audiat. DEUS autem utrumque Spiritu gratiæ & Sapientiæ instruat, ut sub regimine illorum auspiciato Status Academiae vigeat, floreat & uberrima indies incrementa capiat. Sit nomen ejus benedictum in seculorum secula!

AD

ILLUSTRISS. DN. COMITEM,

primâ vice

CONSISTORIUM INGREDIENTEM.

Illustrissime DN. Comes!

Viginti sex & quod excurrit DN. Frater, Dominus LUDOVICI sunt, cum Illustrissimus VICUS CRATO, Comes ac
(G) 3 Burg-

Burggravius in Kirchberg &c. gloriosæ recordationis, tanquam Rector Academiae Magnificentissimus ad Clavum Reipublicae Literariae sederet, vestigia Dn. Patru Illustrissimi, DN. WOLFGANGI CRATONIS, *Comitis & Burggravi in Kirchberg &c.* gloriosissimæ non minus memoriae, premens, qui anno præcedentis seculi LII. eodem pariter munere gloriosèungebatur.

Cum verò omne trinum sit perfectum, non potuerunt non ex eadem Familia Illustrissimâ, TE, Comes Generosissime, in Caput Academiae Magnificentissimum sibi legere Proceres Academiae, pro Vicariò ad-dentes Pro-Rectorem Magnificum DN. Prof. Rüdigerum, Collegam nostrum Honoratissimum.

Quemadmodum igitur munus hocce Splendidissimum Illustrissimæ Tuæ Magnificentiae, me jam interprete, offert Totus hic Senatus Academicus, nullus-

que dubitat, quin idem gratiosè susceptura sit: Ita suam insinuat Observantiam & quaecunque ab eò expectari poterunt, nunquam non spondet & stipulatur paratissima; Et cum de cæterò temporis ratio non permittat, ut singuli è Senatu hocce Academico, ut quam maximè vellent, devotionem suam Illustrissimæ Tuæ Magnificentiae, votis coram nuncupatis, contestari possint; hinc Eidem conjunctis plausibus mea voce simul omnes de Spartâ Amplissimâ gratulari voluerunt, DEUM T. O. M. piis desideris rogantes, vellet Illustrissimæ Tuæ Magnificentiæ tantam tantamque conservare omnibusque Personis Illustres decentibus felicitatum cumulis instruere, ut munere isthoc Splendidissimo ita possit defungi, ut omnia vergant in Divini Numinis Gloriam, Familiae Illustrissimæ Splendorem & Illustrissimæ Tuæ Magnificentiae Decus nunquam intermoriturum!

DECLAMATIO PANE-
GYRICA VII.

DE
HASSIÆ LITERATÆ
FATIS,

anno 1701.

Die 5. Jan. Gissæ habita.

DECISA nunc lis est, ILLU-
STRISSIMI DNN. CO-
MITES, ILLUSTRIS & PER-
STRENUE DN. GUBERNA-
TOR, PROCERES ACADE-
MIÆ GRAVISSIMI, CIVES
NOBILISSIMI, lis, inquam, in-
ter Curiosos hætenus ventilata
nunc decisa est, quâ

*an annus supra millesimum se-
ptingentesimus ad seculum XVII.
an ad XVIII. referendus sit?*

hætenus quæsitum & in utram-
que partem agitarum fuit.

Erant, qui posterius sustine-
bant, ducti, an seducti magis, ju-
bileo in Ecclesiâ Romanâ tunc
celebrato, quod cum brevitate

vel intra festum nativitatis Chri-
sti ejusdem anni finiatur, inferunt
exinde natalitia prioris anni no-
nagesimi noni necessario pro
centesimis habenda & conse-
quenter natalitia anni sequentis
septingentesimi ad seculum
XVIII. referenda esse.

Alii hoc ipso argumento con-
trariam sententiam abstruebant
annumque præcedentem ad se-
culum decimum septimum po-
tius quàm ad decimum octavum
pertinere sentiebant, quàm in
Ecclesiâ Romano-Catholicâ Ju-
bileum neutrquam in primò,
sed ultimò seculi annò celebre-
tur. Cum enim Pontifex Ro-
manus

manus *Bonifacius VIII* primâ vice annum jubileum imperaret, centesimum, adeoque non primum, sed ultimum seculi annum illi nuncupabat, primumque jubileum anno Christi 1300. solenniter habitum fuit. Tempore verò subsequente *Clemens VI* itidem Pontifex Maximus anno Christi 1308 instituit, ut quinquagesimus cujusvis seculi annus jubileus evaderet, adeoque annò insequente 1350 secundum jubileum aperuit, addidit in bullâ ejus ratione quòd in V. T. annus semper quinquagesimus jubileo fuerit sacratus; Verba ejus ita sonant: Nos autem attendentes, quòd annus quinquagesimus in lege Mosâicâ jubileus remissionis & gaudii sacerque dierum numerus, quòd in lege sit remissio, censebatur &c.

Abhinc Pontifices nonnulli annum jubileum ad annum quemcunque trigessimum tertium devolvere conati sunt, eò, quòd Salvator mundi triginta tres annos in carne vixerit: Ast nunquam consuetudine id receptum fuit; donec tandem *Paulus II* & *Sixtus IV* annum quemvis

vigesimum quintum jubileum dixerint, cujus celebratio annò Christi millesimò quadringentesimò septuagesimò quintò, sub Papatu Sixti IV. inchoata & continuâ serie ab

<i>Alexandro Sexto</i>	} anno	1500.
<i>à Clemente VIII.</i>		1525.
<i>à Julio III.</i>		1550.
<i>à Gregorio XIII.</i>		1575.
<i>à Clemente VIII.</i>		1600.
<i>ab Urbano VIII.</i>		1625.

& ita porrò observatum fuit, usque dum annò nunc felicissimè elapsò millesimò septingentesimò Jubileum decimum sextum ordinarium in Ecclesiâ Romanâ celebratum fuerit, quò seculum quoque XVII post Christum natum haud infeliciter concluditur.

Nec obstat Jubileum hocce non tam anno 1700 quàm anno 1699 primum apertum fuisse, adeoque eundem annum, 1700 nativitatibus festum dedisse: quò positò necessariò annum 1700 festum natalitiorum 1701 & consequenter primum seculi XVIII annum involvere.

Lubentissimè enim fatemur annum

annum 1699. 1700 natiuitatis feſtum præbuiſſe, annumque 1700. conſequenter 1701 natiuitatis feſtum trudere : Interim hinc inferri nequit, annum 1701 primum ſeculi decimi octavi annum conſtituere, ſed quod ſeculum hoc cum 1701. natiuitatis feſtò inchoetur.

Hoc ut appareat, notandum, quòd ſi annos atque ſecula à natò Salvatore numeremus, computus hic non tam à feſtò circumciſionis, ſed à feſtò natiuitatis Chriſti notoriè ducatur; hinc Chriſtianorum computus non à calendis Januarii, tanquam feſtò circumciſionis, ſed octiduo præcedente, feriâ ſcilicet natiuitatis Chriſti inchoatur. Ut adeoque cum 1701. natiuitatis Chriſti feſto quoque primum ſeculi XVIII. annum inceperimus.

Nunc ergò Jani Biſfrontis inſtar in biviò conſtituti alterâ facie ſeculi diffluxi felicitatem reſpicere, alterâ futuri præcipitia & miſerias trifti quaſi vultu prævidere licet, quas homo tempore, ſub Rectoratus Academicæ abdicatione ominari non dubitabat Antecellor Venerandus.

Equidem non exiguo metereore quætebat omen infauſtiſſimum, eoque majori quod recenti adhuc memoriæ inhærent indicibiles, quæ muneri tunc in me devoluto conjunctæ ſunt, moleſtiæ; ſed vel exinde licuit perſpicere, quàm mirabiles & inexhauſti ſint divinæ providentiæ theſauri, dum, quæ Dei eſt clementia, pacatiſſimum è contra annum Rectoratus ſum expertus, ut dubitare liceat, an unquam tranquillior Academicæ noſtræ ſtatus fuerit? Ceſſarunt enim rixæ & contentiones Civium Academicorum. Ceſſarunt dimicationes & duella, in principiò ſtatim, tanquam in herbâ, ſuffocata: Ceſſarunt cædes & homicidia: Verbo dicam: Pacifica fuerunt omnia; ut vel exinde, ſiquidem ex eventu omineque ſupradictò res dijudicanda foret, conſtare poſſit, annum hunc non tam ad infeliçiâ futuri, quàm fauſtiſſima prioris ſeculi complementa referendum eſſe, quæ à primâ Academicæ Reſtauratione experti ſumus inviolata & conſtantia.

Ingratus eſſem, AUDITORES, ſi tot & tanta in alma
(H) Ludo-

Ludovicianam æquè ac tenuitatem meam hætenus derivata beneficia & divinæ bonitatis argumenta sub fine seculi reticerem; quin celebranda sunt Dei magnalia eorumque memoria deprædicanda est in seculorum secula.

Quapropter dum infulas modo Rectorales abdicaturo in Illustri splendidaque hac Panegyri verba quædam facienda sunt, non jucundius aut acceptius argumentum fors occurreret, quàm si felicissimum *Hassæ Literatæ*, adeoque & *Academiæ hujus statum*, quò à primis restorationis annis, in hunc usque diem, in seculò præcedente est gavisa, ex annalibus Majorum & propriâ observatione breviter ob oculos posuero, sicque Auditorum animos ad glorificandam divinæ bonitatis abyssum excitavero, quos eò faciliores mihi spondeo, quò jucundior est laborum retroactorum memoria.

Cæterum ut contraria juxta se posita magis elucescant, haud extra oleas me vagaturum judico, si infelicia, quæ Matrem Ludovicianæ nostræ, *Academi-*

am puto *Marburgensem*, quondam, si non opprimebant, premebant tamen, fata hæc præmiserò.

Gloriari illa, imò gratulari sibi poterat de auspiciis felicissimis, sub Principe Pientissimò & reverà Magnanimò, PHILIPPO Hassiæ Landgravio &c.&c. anno millesimo, quingentesimo, vigesimo septimo, curante primùm & Magistratum Scholasticum, mox & Cancellarium gerente *Johanne Ferrario Montano*, Viro sapientia, virtute & eruditione celeberrimo. Gratulari sibi poterat de privilegiis amplissimis, à Cæsare Romanorum CAROLO V. anno 1541 obtentis. Gratulari sibi poterat de fecundissimò Civium Academicorum numero, quorum unò seculò ultra quindecim millia numerabat: Doctorali splendore & Magistrali Dignitate exornatis mille quingentis & quadraginta novem. Ast quantis insimul infortuniis & calamitatibus obnoxia fuerit Academia, quantus illa fluctibus agitata, non sine tristi memoriz horripilatione legitur.

Et enim jam Morbonæ crudeli-

delitate loco pellitur & tum Do-
centium, tum discipulorum nu-
merus dissipatur: Jam Martis,
insensibilis Musarum hostis, sæ-
vitiâ & ferocia vexatur: Jam an-
nonæ caritas ditiones ejus atte-
nuat: Jam aliis angustiis confi-
statur. Vix enim fibras & radi-
ces egerat Lyceum & ecce ter-
tio foundationis & ætatis suæ an-
nò morbus perniciosissimus, fe-
bris sc. pestilens sævissima, quam
sudorem Anglicum vocant &
ex æne Phlegetonte primùm
emissam putant, tantò furore de
provincia in provinciam, dere-
gnò in regnum translata est, ut
acrimox incurfu hostiliter quo-
que Marburgum invaserit, suisq;
pestiferis & venenosis telis mi-
râ velocitate nullo discrimine
cives ita infecerit ut mox Stu-
diosorum numerum immane
quantum attenuaverit; quod
malum Pestis gravissima tantâ
contagione sequebatur, ut Scho-
la Francobergam migrare & tu-
tam ibi sedem cogreretur quæ-
rere. Similiter anno 1547. in-
gens pestis, quæ pene totam Ger-
maniam depopulabatur, Studi-
olis ad Academiam illam adi-
tum præclufit, quam simile con-

tagium anno 1541. Grunbergam
fugavit. Quales tempestates
idem Athenæum sapissimè su-
stinuit. Sic annis ejusdem se-
culi 64. 68. 75. 85. Academia
Francobergam, Pædagogium
Wetteras, propter lucem sævissi-
mam, abiit. Anno 1595. sub
Reſtoratu Venerandi *D. Win-
ckelmanni*, Theologi Cordatissi-
mi & alterius quasi Lutheri, per-
niciosissima dysenteria epidemi-
ca Marburgum devastavit. An-
no 1597 adeò pestis omnem pla-
gam Germaniæ inficiebat, ut quo
suæ quis salutis consulere, tutum
non inveniret locum. Jcti
Kirchainum migrant: Theolo-
gorum, Medicorum & Philoso-
phorum potissima pars Marbur-
gi perſistebant. Quidam Hom-
bergam, alii Gemundam abire
& vitam à contagiò furibundò
liberare contendunt. Anno 1599
iterum dysenteria: Anno vero
1607 pestis homines illuc è me-
dio magnâ cum vehementiâ, su-
stulit. Anno 1609 dysenteria
inter Studiosos tantò furore sæ-
vit, ut à tempore foundationis
similis perniciēs, quæ tot adole-
scentes jugulaverit, nunquam
observata fuerit. Anno 1611

ultra 1200 ibidem peste succubuerunt, Francoberga verò Academiam hospitio suscepit. Tandem anno 1622 febris Ungarica & dysenteria non sine maximâ Academîæ jactura chorum discipulorum profligavit, ut per integrum fere seculum nil nisi morbus fuerit Academia.

Quemadmodum verò nulla calamitas sola, ita non solum dira morborum spicula Academiam infelicem fauciarunt, sed & annonæ caritas sæpius Academîæ huic exitium portendit, cum primis autem anno 1575, ubi tanta fuit omnium rerum penuria, ut, nisi Celsissimi Principes & Nutritii Professoribus liberalissimè succurrissent, facillimè egestate succubissent fameque prorsus enecati perissent.

Insensissimus tamen omnium illi Martis furor exstitit, utpote qui sapissimè non levem illi terrorem excussit. Anno scilicet ætatis & florentis Academîæ decimò nonò, qui 1546. erat, undique metu & squalore bellico perfundebatur, adeò quidem, ut Cives ad unum omnes, propter hostis præsentiam, quem in proximis sylvis (utur falsò rumore)

civitati insidias struere putabant, indutis armis noctem insomnem agerent, qui terror verè Panicus mensè septembri in tantum augebatur, ut & Professores & Studiosi & Cives agmine factò avolarent, res pretiosas ad loca tutiora transferrent, sicque à raptorum & iniquâ militum catervâ integras conservarent. Haud absimilis isque infaustus satis annus fuit 1547. quò ex omni plagâ hostium turma, ceu imber, decussatim ingruere visa est; unde ob Studiosos dispersos Academia & formâ & famâ exuta Gymnasii imaginem induit; donec pace per Inviictissimū Imperatorem, Carolum V. restituta, DEO suffragante, pristinum splendorem & numerosam Studiosorum frequentiam recuperaverit. Videbatur jam inducias concedere Bellona, siquidem ad annum 1620. halcyonia quasi sensit Academia, qua tamen annò subsequente 21. majoribus fere turbis arietata fuit, siquidem milites, qui urbem ipsam tueri debebant, non solum in Civium, sed & Professorum fortunas impetuosè grassari non dubitabant. Anno verò

1622 in tantum belli motus & morborum semina spargebantur, ut vix locus inveniri potuerit tutelæ aptus. Quibus infortuniis aliud gravissimum cumulabatur malum, quod monetæ corruptio valorisque amplificatio, quâ Imperialis 20 florenis (furtô sane astuto & palliato) æstimabatur, non solum commercia & ad vitam sustentandam utiles permutationes turbaret, sed & citas & arcas auro argentove emungeret ac spoliaret. Anno 1623 novum & ex Italis, Gallis, Wallonibus, Polonis, Bohemis, Ungaris, Croatis, Turcis Tartarique mixtum hominum genus Urbem & Academiam funditus perdidissent, nisi Illustrissimi & Celsissimi Principis assiduâ curâ & labore indefessô, annuente Generosissimo Comite Tilleno, Heroë tunc bellicosissimô atque Literatis Gratosissimo, remedium paratum fuisset, ac tributum illud, quô ultra sesquicentum imperiales singulis septimanis Professores exigere constituerant, ejus Excellentia remisisset, tandemque civitatem afflictiissimam ab inhumani illâ turbâ liberasset. Interim vix de-

cennium respiraverat Academia & novum turbarum paroxysmum experiri cogebatur. Cum enim Miles Cæsareus anno 1636 urbem Hanoviam, Duce Lambojo, diurnâ obsidione cingeret & ad deditionem penè coëgisset, initio mensis junii hujus anni Wilhelmus, Hassiæ Landgravius & Leslaus, Suecici in Westphaliâ exercitus Generalis, conjunctis viribus eandem à diurna illâ obsidione liberare constituerunt, idque successu felicissimô. Transcuntes itaque Hassiam inferiorem ipsumque Marburgum, omnia, quæ attigerunt loca, Gregarii barbarâ quadam crudelitate tractabant & præterea ipse Leslaus Scotus impossibilia Academiæ impetrans, per minas & exactiones militares ducenta florenorum millia, totidem libras panis, quinquaginta cerevisiæ & decem vini culcos, extorquere nitebatur: quibus minis & periculis aliqui Professorum permoti relictô Marburgô Gissam nostram (quam tamen & hic facile se expugnaturos somniabant & minabantur) tanquam ad asylum commigrabant; cui

haud absimile periculum urbi incumberebat, cum Bannerius, reliqui Suecici exercitus Campi-Marescallus illi imminere videretur, qui haud multo post pugnam ad Wistochium die 4. Octobris ejusdem anni commissam, Milsnâ subactâ, per Thuringiam cum exercitu in Hassiam Inferiorem Castellâ usque penetravit; quod tamen, Divina Providentia illum ad expugnationem Torgæ, Lipsiæque ferventissimam licet, irritam tamen, oppugnationem retrahente, evanuit. Auxit tumultus hos miles praesidiarius, quem Illustrissimus Nutritius pro majori securitate & tutelâ urbis, Marburgo immiserat eique tanquam Supremum Locumtenentem Nobilem Rudolphum de Binau praefecerat, qui cum contra Clementissimam Illustrissimi voluntatem praesidiariorum nequitia si non faveret, conniveret tamen aut forte literatis (ut plerumque Heroes illi solent) infensior esset, sæpius Studiosos inter & milites rixæ & aggladiationes obortæ fuerunt, ut modò his, modò illis vulnera inflicta fuerint.

Restabat jam ultimus & Academia huic prohi dolor! fatalis impetus, quem anno 1646. sustinere cogebatur, postquam Castellani manu armata, opertorum bellicorum majorum, urbem die 24. Octobr. 1645. occupant, arcem autem obsidione diuturnâ cinxerant, donec die 16. Jan. anni 1646. à Governatore Willichio, lachrymis magis & ejulatibus foemellarum, quàm annonæ aut munitionis defectu, emolliro, appropinquantibus jam Suppetiis, turpi deditione prodita fuit, quam morte capitisque detractione heic in forò Gissenò luere cogebatur. Quid Docentes æquæ ac Discipuli tunc perpessi fuerint, dicere non audeo, ne ulcus cicatrice dudum obductum refricare videar. Hoc saltem reticere nequeo, Professores & à Commissariis Hassiacis & à milite Cæsareanò urbem paulò post reoccupante durissime habitos, Cives disiectos & Academiam prorsus desolatam fuisse.

Hic tragicus fuit exitus Academiae Famigeratissimæ, quæ primis incunabulis ad ultimum (ut ita loquar) halitum nil nisi

Bellonæ & Morbonæ scena fuit.
O infelicissima Parnassi Hassiæ
fata! O deplorandam Musarum
sortem!

Quemadmodum verò unius
corruptio plerunque generatio
est alterius, ita non potuit non
contingere, ut è ruderibus infe-
licis Academiæ

*veterique migrante
Colonò*

nova, eaque faustior, ejus facies
efformaretur, *Restaurata* scilicet
Academia Gissena.

Postquam enim inter Princi-
pes Hassiacos, Darmstadinum sc.
& Cassellanum jam convenum
esset, ut armis depositis paceque
de novò stabilità, Hic privilegia
Marburgensis Athenæi sibi re-
servaret: Ille verò suis privile-
giis, à RUDOLPHO II Impera-
tore quondam Laudatissimo
Musisque Gratosissimo, ad A-
cademiam peculiarem erigen-
dam concessis uteretur, cura
plusquam Paternâ Serenissimi
Principis & Domini, Domini
GEORGII, Hassiæ Landgravii
&c. Musæ hætenus Marburgi
celebres Gissam transplantatæ

non potuerunt non lætius mul-
to succrescere & feliciora Cele-
britatis suæ incrementa capere.

Scilicet ut plantæ quædam
multo lætius vegetari solent, si è
primævò Seminariò in aliud sibi
proportionatum solum trans-
plantentur; ita Musæ è culmini-
bus Parnassi Marburgensis in a-
grum Gissenum translocatæ ve-
getiori multo flore sunt indutæ
& post tot infortuniorum nubi-
bila Phoebo gratiori illustrata
atque fota succreverunt eun-
do.

Præfagâ illud mente pensita-
bant urbes Hassiæ Superioris,
Darmstadium, Gissa, Grunber-
ga, Alsfeldia, quæ de nova A-
cademiæ sede tunc inter se cer-
tarunt, qualibet Musis noviter
redeuntibus hospitium promit-
tente & præbere contendēte, vin-
cente tandem Gissâ nostrâ, in
quam à primò Restaurationis
momento, in hunc usque diem
omnia felicitatis & celebritatis
flumina quasi imbre quodam
depluebant. Testatur illud pri-
mus & Solennissimus restaura-
tionis actus, jussu Serenissimi,
à B. Zuckio publicè descriptus,
quem

quem Serenissimi Principes Juventutis, DN. LUDOVICUS & DN. GEORGIUS, Landgravii Hassiæ &c. Fratres Germani & Celsissimi Principis Restauratoris, Domini Georgi Senioris Filii, tot Comitibus & Nobilibus stipati, præsentia Principali illustrarunt, Sceptra Fascisque Academicas, Sigilla, Matriculam & Statuta iis præferente Nobilitate Hassiaca: Celebratis simul omnium Facultatum Promotionibus Doctoralibus splendidissimis. Testantur idem tot undique terrarum adventantes Cives Academiæ, non Germani tantum, sed & Galli, Itali, Dani, Sueci, Hungari alique peregrè advolantes, quos magnò numero hætenus exceperit, ita ut per semisæculum ultra 5400 numerentur in Matricula: E quibus octingenti septem Gradibus Academicis decorati sunt, ita quidem, ut

in *Facultate Theologica* 85 } Lic.
 in *Facultate Juridicâ* 331 } &
 in *Facultate Medicâ* 136 } Doct.
 in *Facultate* verò *Philosophica*
 257 Magistri
 publicè creati fuerint. Jam

quavis supputare poterit, quantæ opes & quam insignes reditus in urbem hanc & rempublicam civilem redundaverint.

Quodsi autem reliqua, quæ per tot annorum decursus experta fuit Academia, fata pensitemus, sanè Marburgensium intuitu nunquam non fausta, felicia & fortunata exstiterunt. Procul enim hinc omnis contagio: Procul omnis lues epidemica & Morbonæ rabies! cùm in vicinâ licet aliquoties grassante Pestilentia urbs & Academia nostra per DEI gratiam & clementiam nunquam non inviolata & incolumes remanserint. Neque est, ut de annonæ caritate conqueramur, cùm quæ sub sine sculi præterlapsi incrementum videbatur sumere, opimâ & ditissima ubivis messe & vindemia (Deo sint gratiæ!) fugata sit. Et quam propinquus etiam aliquoties exstiterit Martis furor, tantum tamen abest eundem Musis nostris incommodare potuisse, ut potius grassantibus circumcirca bellorum voraginibus & procellis, sub alis Divinæ protectionis tutissimis semper & inclementis iisdem vacare licuerit.

Taceo

Tacco jam alias Academiæ nostræ prerogativas, à tempore restaurationis illi à Serenissimis Nutritiis clementissimè indultas, loca scilicet & ædificia publica Lectionibus & Demonstrationibus solennibus dicata, redditus & salaria Docentium & similia, quibus præ aliis Athenæis tantum eminet

Quantum inter lenta solent viburna cupressi.

Illic sanè Collegio superbit Augustissimo, Horto Medico, Laboratorio Chymicâ & propediem Amphitheatro sectionibus Anatomicis destinato, quæ alibi aut prorsus desiderantur, aut ad tantum nitorem & splendorem vix assurgunt. Hic vero post solutionem Legati D. brique Leiningensis ii, qui Docentium munere funguntur, salariis aluntur amplissimis, è propriis Academiæ redditibus, absque ulla hæcenus morâ obtinendis; unde fieri non potuit quin nunquam non Viris in omni Facultate Celeberrimis instructa fuerit Academia, ad cuius clavum hæcenus sedere non dubitarunt Principes, Comites, Barones, Serenissimi, Illustrissi-

mi, Generosissimi, non sine novâ Academiæ felicitate & splendore. Cumprimis autem præter Serenissimam & Celsissimam Domum Principalem Hassio-Darmstadinam Gratosissimos hæc in parte se Academiæ nostræ exhibuerunt Illustrissimi Comites & Burgravii à Kirchberg, Domini in Farnrodâ &c. qui jam aliquoties eâ, quâ decet observantiâ, oblatum à Senatu Academicò munus Rectore Generosò faciliq; animò susceperunt & autoritate illustrissima celebritatem Academiæ promovere sustinuerunt.

Sic statim sub auspiciis Academiæ Gissenæ Restauratæ in Rectorem Magnificentissimum creabatur Illustrissimus DN. WOLFGANGUS CRATO, Burgravius à Kirchberg, Dominus in Farnrodâ, Comes ac Dominus non tantum de Academiâ sed & universâ Hassia bene meritiissimus. Abhinc circa medium semiseculi, anno sc. 1674 Illustrissimi DN. Patruj, gloriosissimæ memoriæ, vestigiis inhærebat Generosissimus Dominus LUDOVICUS CRATO, Burgravi-

nus à Kirchberg, Dominus in Farnrodâ &c. cui similiter Sceptrâ Academica sollemnissimè & oblata & concredita fuerunt. Ne verò quicquā, sive splendoris sive prosperitatis Academiæ deesset, restabat, ut ex eadem Familiâ Illustrissimâ sub fine seculi præterlapsi noviq; , quod (utinam bonis avibus!) nuper auspiciati sumus, auspiciis in apice Parnassi Hassio Gissenî fulgeret novus, quem coram venerari licet, RECTOR MAGNIFICENTISSIMUS!

Postquam enim pro tenore statutorum moreque hætenus recepto, paucis abhinc horis fasces Rectorales hornō mihi sollemniter demandatas abdicavi, unanimi Procerum Academicorum arbitrio & consensu in Caput Academiæ electus est Illustrissimus atque Generosissimus Comes, Dominus GEORGIUS FRIDERICUS, *Bürgermeier* de Kirchberg, *Comes* de Sayn & Wittgenstein, Dominus in Farnrodâ, Comes ac Dominus longè gratiosissimus, cui postulantis ita Statutis, de consensu Senatus Academicimè quidem

voce & præconiō publicè & sollemniter fasces & insulæ Rectorales offerendæ erant.

Quòd ergò felix faustumque esse jubeat DEUS T. O. T. M. Te, Comes Illustrissime, ex Decreto Consistoriali Rectorem Magnificentissimum salutamus: Tibi fasces offerunt Proceres & quæcunque jura illis adnexa, Tuæq; Illustrissimæ Magnificentiae totam commendant Academicam regundam; quod omine sanè felicissimò, providente ita summò Numine contigisse, vel exinde colligo, quòd, cum Magnificentissimi nostri Patruus Illustrissimus, gloriose recordationis, sceptrâ Academica olim sustinens, Pro Rectorem habuerit Celeberrimum *Ebelium*, Logices & Metaphysices Professorrem: Illustrissimo verò Fratri, ad clavum Academiæ patiter sedenti tanquam Vicarius substitutus fuerit Professor Theologus *B. D. Mislerus*: Hæc vice simul in Pro Rectorem Magnificum electus fueris, qui & beati Ebelii familiæ proxima affinitate junctus ejusque Professio-

ni dudum admotus erat: Celeberrimæ autem Mislerianæ familiæ (quæ magnum quondam *Clodium* fovebat) non minimam eruditionis suæ partem in acceptis ferebat; quò, ut in Magnificentissimo Nostro binorum Antecessorum Illustrissimorum, ita in Vicario ejus binorum Pro-Rectorum memoria simul & *ἐνθυσιάζων* recolatur. Sic utrobique unus instar omnium: Sic nunc in uno concentrati reviviscunt utrinque: Patruus & Frater Illustrissimi in Rectore Magnificentissimo: Cognatus & Patronus in Pro-Rectore Magnifico, Viro Admodum Reverendo & Amplissimo DN M. JOH. BARTHOLOMÆO RUDIGER., *Log. & Metaph. Prof. Publ. Ord.* quem ut Vicarium suum gratiosissimè admittet RECTOR Academiæ Magnificentissimæ, ita Eundem, seu Pro Rectorem Magnif. omnibus simul Civibus Academicis etiam atque etiam commendando & eâ, quâ decet, observantiâ mactandum jubeo.

Quod verò reliquum erat, acquiesce RECTOR ACADE-

MIÆ MAGNIFICENTISSIMÆ, acquiesce inquam & quas nomine Totius Senatus Academicici modò offèro infulas per Vicarium Tuum & Pro-Rectorem Magnificum jam suscipe.

En *SCEPTRA ACADEMICA*, quæ ut Regiminis Literarii decora sunt & insignia fulgentissima, ita certi qf. Prodrumi erunt futuri Regiminis territorialis, quo Illustrissima tua Magnificentia propediem investienda erit. Subditorum autem typum gerent Cives Academicæ, huic, quam subjungo, *MATRICULÆ*, tanquam catastro privilegiato inferendi, qui eò majori curâ & sollicitudine regendi & tractandi erunt, quo facilius in licentiosam peccandi libidinem degenerare solet libertas Academica. Huic autem ut remedium paretur, addo *LIBRUM STATUTORUM*, quò tanquam fræno quodam coercerentur luxuriantes animi, eâque de causâ animæ disciplinæ Scholasticæ dicuntur Serenissimo Legislatore; & cum

sapissimè Programmata & Edicta Publica valvis templi Illustrissimæ Magnificentiæ Tuæ nomine affigenda & insignibus Academiæ hujus obfignanda sint, hinc **SIGILLUM MAJUS** illis dicatum jam adjicio, addito **MINORI** literis peregrè mittendis, testimonijs & similibus imprimendo. Tandem **CLAVIBUS ACADEMIÆ** investituram hancce claudō, quæ cum plus oneris & molestiæ, quàm reliqua involvant, Magnifico DN. Pro-Rectori potissimum curandas offero. Agmen autem ducunt *Claves Confistorii*, quia penes Vos erit, publicas, quoties necessitas efflagitaverit, congregationes instituere, convocando Consiliarios Vestros, Decanos & Professores singulos. Sint conventus vestri sacri, salutare pacifici! Addo *clavem*, qua includenda æque ac recludenda sunt ea, quæ *Fiscus* colligit. Implcat arculas ejus bonis omnibus, qui thesaurorum reconditor cælum & terram implet! Tandem *malæ & infelicitis mansionis clavis* agmen

traditorum claudat, quò illi claudantur, qui intra recti regulas contineri nequeunt, ne

Morbida facta pecus totum corrumpat ovile.

Vos autem, RECTOR Academiæ Magnificentissime Pro-Rectorque Magnifice, vivaris in hac Dignitate felicissimè, instructi omnibus ad regiminis beatitudinem requisitis animi corporisque viribus, ut omnibus piorum votis exoptata felicitate muneris gravissimi terminum, aut sæpius recurrentem, assequamini.

Jam nihil restaret aliud, quàm ut Vobis, CIVES ACADEMIÆ LECTISSIMI operosa serie utrumque Caput Academicum omni veneratione & obsequio mactandum commendarem, idque, si aliquid operis in adnitente esset, efficere conarer, nisi Magnificentissimi Nostri pravereretur autoritas, in cujus vultu omnes revera gratiæ concentratæ sunt. Hujus clementiæ si flecti non poteritis, haud agrè feretis si gratiosis,

simam Rectoris Magnificentissimi benignitatem Domini Pro-Rectoris rigor temperaverit.

Faxit Alma Trias, ut, quemadmodum in elapso seculò largissima benedictionis suæ flumina irrigarunt Academiam prima-

que novi seculi auspiciis Eidem felicissima esse jussit, sic futuris quoque annis semper floreat, vireat, succrescat! ita cantabimus nomen ejus in seculorum secula!

DIXIT

DECLAMATIO PANEGYRICA VIII.

DE

*ORIGINE ET PROGRESSU
PHYSICES EXPERIMENTALIS.*

Habita Gisse A. 1687. d. 30. Maji.

HOc ego dum jam primâ vice occupo suggestum, haud fortè disparem cum iis subeo catastrophæ, qui ex absconditis vinculorum tenebris expliciti, ad pristinæ lucis conspectum ferè excoecari solent.

Quum enim multam vitæ meæ partem in obscurò degerim, nunc verò jussu Principali in apertum veniendum sit, tantò undique splendore circumfundor, ut illuc animum facilius, quàm oculos attollam. Ab

(1) 3

una

unâ quippe parte fulgentissimum Solis Hassiaci veneror exortum : Ab alterâ tot Academia nostrâ lumina radios suos catervatim in me concentrantia. Aquilinam hîc oculorum actem exoptârim, ut obversò generosè vultu illis obviam ire & coruscum utrobique jubar cominus experiri liceat : illic Gratiosissimos, quos ex Aulâ Principali Darmstadinâ, tanquam verò solis Hassiaci vortice, perferentisco radios, quèis Serenissima nostra Princeps ac Domina, DN. ELISABETHA DOROTHEA, *Hassia Landgravina, Princeps Hersfeldia, Nata Ducissa Saxonie &c. &c. &c.* Sceptra Principalia tutoriò vibrans nomine, Domina nostra clementissima, Principali ad cathedram vocatione me ferire dicam an fovere acquievit. Hîc verò tot Globi Academici sidera, quæ vel olim hæc subsellia exornarunt, vel usquedum illustrent ita, ut parum absit, quin ad conspectum illorum lumine voceque captus profusus obmutescam. At verum enim verò, pro certò jam umbraculò est vestra, PATRES ACADEMIÆ

præsentia admodum honorificâ, quæ hallucinanti mihi & in Orationum rostris hæctenus nuspiam exercitato animum modò addit, ut, quam iussu vestrò & arbitriò cœpi telam, pertexere sustineam.

Quandoquidem enim & legibus cautum & more receptum sit, ut pro feliciore Muneris Academici auspiciò ex hoc ipsò locò verba prius facienda sint : æquum omninò erat huic Superiorum ordini decenter morem gerere, utut vix aptum suppetat argumentum, quò ad dignitatem Auditorii exsurgat oratio. Intereâ ne Areopagitarum instar ἀνευ προσήκουσιν spartam meam occupasse aut temerè ad eandem (quod iura verant) & repente prosiliisse videar, ea modò soligam, quæ à munere mihi demandatò haud multum aliena sunt & ad *Physices*, ut vocant, *Experimentales* illustrationem vergunt. Absit autem, ut spectatores hîc & Agyrtas secururus sim, qui publicis in forò nugis verba dare & vel nonnunc jam suspecta unguenta perfrictâ fronte dilaudando simplicioribus palpum obtrudere intus &

in sinu gaudent. Quin de scientiâ nobilissimâ jam acturus aperto planoque dicendi genere tantum *ortum* ejus & *progressum* Historicâ fide referam; verbarebus ita commissurus, ut quacunque duxerint, hâc inelaborata sequatur oratio. Fiet enim ita, ut citra omne, quod fors expectari poterat, encomium, oppidò appareat & antiquissimum esse Physicæ Mechanicæ studium & ita comparatum, ut factâ cum vulgari Scholasticorum methodò supputatione tantum illa præmineat:

*Quantum inter lenta solent vi-
burna cupressi.*

Cumque desuper non tam ex vanæ gloriæ aucupio aut animò ad ostentationem factò huc accesserim, quàm ex legali causa Eorumque jussu, quorum nictus pro imperiò, velle pro lege est; hinc vestram, Viri OO. honoratissimi in audiendo patientiam, judicando aequitatem, assentiendo denique facilitatem eò prominus mihi compromitto, quò factâ Vobis inclinatione ardentius id sollicito.

Dum verò jam pro assumptissimæ Experimentalis Philoso-

phiæ gloria milito, classicum ex adversò canere & agnoscere jam factò mihi jugulum petere videntur universæ Scholasticorum copiae, quæ Tartaris hodiè terribiles Moscorum legiones ferè numero superare possent. Sicut enim ars non habet osorem nisi ignorantem, ita plures illi sunt, qui aut sublimitate rei aut laboribus deteriti ex supinò livore & invidiâ eandem aliis pariter spectam reddere & si non prorsus impiam vel irreligiosam, novitate tamen plenam execrari solent: Utrumque citra omne meritum. Nec enim heri vel nudius demum tertius invaluit hæc Philosophandi ratio, sed ultra remotissimam hominum memoriam à longis retroseculis eandem floruisse extra omnem dubitationis aleam est positum. Quod ut appareat, non adducam hæc antiquissimos *secretorum, arcanorum & Naturæ mirandorum* Scriptores palam sepe fabulosos: Mizaldum, Albertum Magnum Joh. Baptistam Portam, Kirannidem & alios, cum neque fide nec annorum serie hæc Sufficiant, qui nos ad primam scientiæ hujus scaturiginem dedu-

cere possint. Alius omnino repetendi sunt ejusdem naturales, quorum haud obscura in sacris vestigia occurrent iis, qui, ut Christianos decet, sanctissimum DEI verbum noctes atque dies cum Divo Citharædo habent in deliciis. Hoc enim si vel à limine salutaveris apparebit ὁ φησὶς φανερὸς Scientiam hanc infelici hominum Protoplasto Adamo concreatam in ipsò Paradisò sua cepisse primordia. Certè vel sola nominum impositio id evincere videtur, quam ab Adamo ante factam, quam animalium aliorumque corporum indolem experimentis primò factis observavit, adeo non est probabile, ut contrarium potius inde sustinere audeam, quòd, ut vulgò dicitur:

Convenient rebus nomina sæpe suis.

Enim verò cum Evam ex costâ suâ divinitus efformatam cerne-
ret, eandem Viraginem appella-
vit, hæc, ut textus habet, de cau-
sâ, quòd à Virò sit decerpta:
Unde nullus dubito, quin & in
ceteris rerum appellationibus
idem ab Adamo observatum sit,
ut hanc de *ἐννομοθεσία* con-

troversiam, ut altioris indaginis
opus, Reverendis Dn. Theolo-
gis jure meritòve relinquam.
Sufficiat saltem evicisse Ada-
mum in Paradisò constitutum
in Physicis haud fuisse rudem.
Quid quòd in tantum infiarit
experimentis, ut ex nimia de-
mum curiositate negata concu-
piverit & expomì vetiti degusta-
tione per mortes hominum ex-
perimentum egerit, quod ipsum
tamen hic in insontissima scien-
tiæ præjudicium non adduxero.
Ut verò & ceteros Physicos Ex-
perimentales Biblicos absolvam,
Moses jam in scenam prodeat,
quem disciplinæ hujus adeò qui-
dem gnarum fuisse credunt, ut
Robertus de Fluëtibus, Richar-
dus Bunworth, Danavus, Valle-
sius, Pererius, Comenius, Hor-
nius, Joh. de Mey & alii *Physica*
Mosæica scriptores primum crea-
tionis librum pro unicâ Physicæ
normâ habeant atque regula,
quam excessivam tamen illorum
sanctitatem vel ex eò averſant
Inclutus Morhofius, quod sacra
profanis immiscendo sæpe tristi
se enthusiasmo implicent, ut su-
periori sæculo Fratres rosæ cru-
cis, nunc verò Egidius Gurtman,
Behnius,

Behmius, Culmannus & alii. Quicquid sit, Moſen tamen rebus hiſce deditum fuiſſe credere me jubet experimentum ejus centum bouum maſtatione dignum, quò aureum Apoſtatarum vitulum in cineres redigere & in pulverem mari innatantem immutare novit, quæ certè haud parvi momenti reſeſt, cum unanimi Chymicorum conſenſu proclivius ſit efficere, quàm deſtruire aurum. Unde factum, ut non ipſe modò Phyſicis, ſed & Chymicis altioribus, quos Adeptos vocant, annumeratus fuerit, eoque magis, quòd liber exſtet Chymicus, quem Soror ejus Miriam conſcripſiſſe dicitur ab iis, qui in conſciendo aurò lapideque Philoſophicò facultates ſape atque ſtudia dilapidant. Alià verò arte ſibi aurum cumu-
labat Jacob, ternius in ordine Phyſicus, dum aſtu à Socerò repetenda erat merces detenta laborum. Bina nempe vice illi fucum fecerat fraudulentus Laban, dum pro deſponſatà carè Rahele lippientem Leam ipſi elanculum obtruſerat & avarà ſape manu promerita laborum pramia perſolverat. Quid verò

Jacob? Pol! quàm egregiò tunc inventò inexcusabilem Soceri perfidiam in proprium ipſi caput reſundeſcit! noverat enim Patriarcha, quid diſſent æra lupinis & quantum in pecorum conceptione phantaſia valeat: Quare poſitis ad aquaria virgulis ex atro-albicantibus, cum ſummò Soceri ſtupore, id tandem effecit, ut major ovium portio (variegata ſc.) ex pacto ipſi cederet, quod ut immenſum familia pondus addidit, ita ſumma Phyſices Experimentalis utilitas inde ſpontè eluceſcit. Quid tandem de Salomone dicam, Phyſicorum Principe? fallor an inexhaustos, quos indies obtinebat, auri argente acervos ſummæ, quâ clauit, Phyſicæ cognitioni tulerit acceptos, cum ſpiritus in ſcriptura atteſtetur, quòd elocutus ſit de plantis à cedro, quæ eſt in Libanò uſque ad hyſſopum, qui prodiſt è parriete, de jumentis, reptilibus & piſcibus: Cauſam addit Joſephus: Nullius enim horum indolem ignoravit. Unde ſunt, qui accuratiſſimam ab Eò rerum naturalium Hiſtoriam literis mandaram eſſe credunt, cuius

magnò quondam desiderio tenebatur *Panegyricus* Theologicâ non minus, quàm leporibus in sermone celeberrimus D. Schupp-
pius, qui vernacula hunc in-
textum ita commentatur: *Sch*
möchte gern Salomonis Physic
sehen und lesen; mich dünkt
die Physic sey von unsern Philo-
sophis noch nicht recht excoli-
ret. Was ist/daß man auff
Universitäten disputiret/de nu-
mero elementorum, de motu,
de materia prima? Dolendum
autem est, quod aurea hæc Salo-
monis scripta ita interciderint,
ut vix tribus in S. Codice verbis
eorum mentio fiat. Ridicula
dicam an iniqua planè causa est,
quam ex Hebræorū mente refert
Camerarius, quod mandatō Re-
gis Ezechie idè cremata sint,
ne ad idololatriam ratione ist-
hæc homines adducerentur. Cu-
jus fatinæ quoque est cariosum
Alexandri III. Decretum, quòd
seculi XII anno 63. tum Româ
exul Turonibus in Galliâ pro
concilio XVII. Cardinalibus,
centum verò & vnginti Episco-
pis frequentatō sancit, quod,
ut Gravissimus Autor Aventi-
nus habet, ita sonat; Sacris

„ initiatus rebus profanis absti-
„ neto leges atque Physica non
audito; ad quod condendum
quid congregatos Patres impule-
rit dum cogito, dubius profectò
& anceps valdè hæsito? Quid e-
nim? an dicam credidisse illos
naturalium rerum indagatio-
nem (nam de Legum cognitio-
ne non agit oratio) Theologum
neutiquam decere? an affirem
illos, qui rebus sacris cā tempe-
state præfecti fuêrunt, omnem
Physicis, adeoque alienis stu-
diis operam navasse, ut Philoso-
phantium animos in Naturæ
campum effusos frenò aliquò
cohibendos atque intra Scriptu-
ræ terminos revocandos esse ju-
dicarint? anne conjiciam Patres
hosce Turonenses tristi demum
experientiâ didicisse naturales
disciplinas (ut tunc erat rerum
humanarum status) verbalibus
unicè contentionibus & inani-
bus disputationum tritis irreti-
tas Ecclesiæ Christi incommo-
date admodum, quod ab Expe-
rimentali tamen Scientiâ quam
maximè alienum esse constat.
Verum illuc jam redeo, unde
paululum digressus sum; &
quamvis certum esse constet no-

stris modò temporibus de Divinâ S. Jomonis Physicâ nequicquam amplius in scriptis superesse, nil tamen impedit, quominus quis assereret, haud pauca ejus rudera ad Posteròs per secretiorem Cabalam abiisse, ac vivâ saltem voce propagata esse. Si enim ulla hominum gens est, quæ Scientias suas atque artes in secretis habet, ea sane (si Chineses fors excipias) Hebræorum natio est, quæ nostris hominibus familiare scripturiendi cocoethes, si quid aliud, adversatur admodum; Sicut igitur hodiernis, qui Politicorum suasionibus inter Christianos tolerantur usque, Judæis, iis cumprimis, qui illotis sæpè manibus in sacra Artis Medicæ delubra irruunt, nil æquè familiare est, quàm ut experimenta à Parentibus sibi hæreditariò relicta jactitent, ita credibile ferè est quædam Veterum Physicorum fragmenta in per-antiquis Hebræorum Scholis oretenus illis credita fuisse. Nam & illos Scholis olim Publicis, quas Academias vocant, gavitos esse, ex hoc ipsò loco Panegyricè

quondam, docuisse novi *πλουμα-
δίστατον* nostrum Clodium, quem è cathedrâ modò venerari licet.

Erat hæc prima Physicæ Experimentalis infantia, quæ ob teneros ætatis annos scripturæ nescia ad eò silentii peplo omnia involvit, ut ne rudera quidem amplius supersint. Postquam verò sub captivitatis Babylonicæ miserâ à Judæis ad Persas devolutum est Physicæ Palladium indeque Græcis paulò post innouit, scriptiõni demum manum admovère, prout relicta utrobique monumenta attestantur: Illic innouèrunt hætenus aliquot fragmenta, quæ Hermeti Trismegisto vulgò tribuuntur, utut à Conringiò olim dubitatum sit, an in rerum naturâ Hermes hic exstiterit? Cui tamen dudum satisfacit Inclytus Borrichius, qui magnæ famæ Antiquario ostendit, quam altè sæpè bonus dormitet Homerus. Quodsi ita sit, extra omne dubium est eundem Naturali Philosophiâ claruisse admodum, ad eò quidem, ut Tertulliano non sine causâ Physicorum audiatur

diat Magister; pleraque sanè, quæ Philosophi Nostrates de necessitate, elatere & effectû aëris experimentis suis ostendêrunt, haud obscurè in *smaragdina* ejus *tabula* leguntur, quam è fonte Latino nuperrimè restituit Dominus Kriegsmannus, in Chymicis quondam versatissimus; hoc enim scriptum illud est, quod pro aurea sua bulla habet Adeptorum Monarchia, sed Oedipus sit, qui hoc anigma solverit! quare relicta tantisper Persiâ ad salutandum Aristotelem in Græciam diverſamus, quem in experimentis quondam fuisse totum, historia ejus animalium abundè attestatur. Postquam enim Magnus Orientis Domitor Alexander animalium indoles dignoscendi desiderio flagrabat, Aristoteli hanc spartam delegabat,

„ cui Plinio teste aliquot millia
 „ hominum in totius Asiæ
 „ Græciæque tractu, quos venatus, aucupia piscatusque
 „ alere noverat, quibusque varia, armenta, alvearia, piscinæ, aviaria in curâ erant,
 „ parere jussit, ne scilicet quid usquam gentium ignoraretur ab

„ illo. Quid quod ipsi Aristoteli pro labore illic præstito octingenta solverit talenta, quæ computatione factâ coronatorum aureorum quadringenta & octoginta millia faciunt: Unde libros hosce opus multorum talentorum olim dictos esse Anri-
 quorum monumenta ferunt. De cæterò dolendum est tanti ingenii Virum paulo generalibus animi conceptibus plus justò indulgisse, nec cœptam in natura telam pertexisse. Nullus enim dubito, quin plura ei in Physicis experimenta innotuerint, quæ aut insuper habuit, aut ex invidiâ aliis pandere recusavit. Mirabimini fortè, Auditores, quòd Aristotelem arcana Philosophiæ aliis pandere noluisse dicam, cum neminem è contra lateat illum tot tantisque voluminibus sua aliorumque Sapientum placita posteris tradidisse. At verò, quæ jam protuli, non ego modò finxi aut alius paulò ante me, sed qui hominis candor est; ipse proficitur Aristoteles. Quum enim attestante Plutarcho, Anloque Gellio Alexander Magnus scriptis ad Præceptorem literis con-

queſitus

questus esset, quòd editis ab eò
Acromaticis libris divulgarentur
sapientiæ secreta, quò fieret,
ut nulla amplius re ipse aliis
præstaret, respondit Regi Sta-
gitites, nequaquam id metu-
endum, hosce enim libros edi-
tos esse & non editos. Qui-
bus sine dubiò verbis significare
voluit, ita se, quæ publicè di-
vulgârit, vocum dictionumque
involutis abdidisse, ut verum
ubique erueret sensum ne dili-
gentissimus possit. Atque hinc
factum, ut si non omnis, sal-
tem plurima Peripateticorum o-
pera scribendis librorum tam
obscurorum expositionibus im-
penderetur, quâ tamen ratione
Autorem istum, qui intelligi
noluit, haud dum satis illustra-
tum fuisse inde colligas, quòd
seculò XV Hermolaus Barba-
rus, modò vera sint, quæ de illò
fabulantur, malam Dæmonem
in illò explicandò consulere vo-
luerit. Adedò verum est, quod
Th. mistium Aristotelis Inter-
pretem quodam in locò dixisse
monet Ludovicus Vives, furori
simile esse, si quis speret se ex
Aristotelis scriptis sententiam
eius penitus assecuturum. Per-

mittite Auditores, ut verbo tan-
gam quæstionem huius obscuritatis
causam, quò appareat nihil pla-
nè à medici, quod ad tanti viri,
de posteritate certè non malè
meriti, contumeliam vergat aut
contemptum. Neque enim so-
lus hic fuit Philosophus, qui stu-
diò quæsitivè obscuritatem, sed
Veteres ad unum omnes (cum
„ Ludovicò Vive loquor) in-
„ viderunt nobis beneficium
„ suæ institutionis, dum ea,
„ quæ invenissent, non apertè
„ ac simpliciter nobis commu-
„ nicârunt, sed tot involutis
„ contexta, ut facilius esset illa
„ ex ipsâ rerum Naturâ erueret,
„ quam ex eorum libris. Nemp-
pe arcere voluerunt profanum
vulgus à cognitione rerum,
quas traderent, contaminatu-
rum, non intellecturum; aut si
intelligeret, non satis sive Philo-
sophiam sive Philosophiæ An-
tistites æstimaturum. Non di-
cam, quod tamen idem Vives
affirmat, fuisse præterea causam
peculiarem, cur Aristoteles ob-
scuro uteretur scribendi gene-
re. Cum enim primum Scri-
ptores omnes, qui ante ipsum
fuissent, carpsent, callidò &

vastrò virum ingenio rationem
veritum sententiis esse usum
ambiguus & utrumque in latus
flexibilibus; ne quis etiam ex-
isteret, qui dicta ejus lacerarer,
ita cavisse sibi semper viâ, quâ
elabi deprehensus posset, ne re-
neretur, ut quicquid dixisse vi-
deretur, integrum esset ei, qui
illum tenendum suscepisset, ne-
gare eam fuisse illius mentem.
Hæc est, Auditores Viri aliâs
Sapientissimi æquè ac æquissimi
de Aristotele suspicio, quam
ipsam tamen hîc pro infallibili
neutiquam obtrudo. Sufficiat
saltem indigitasse plura Aristoteli
experimenta aut obscuritate
esse implicata aut silentio pe-
nitius oppressa. Nec tot ejus
Interpretes sive Arabes, ut A-
verroës & Avicenna, sive Scho-
lastici, Thomistæ, Scotistæ, No-
minales, Reales, Occamistæ,
Albertistæ & similis farinæ So-
ci hîc ullas nobis suppetitias tu-
lere, quorum Physica, Verula-
mi judicio, nihil aliud, quàm
inanes Dialecticæ voces sonat,
adeo quidem, ut Conterraneus
ejus Willis sui quasi tedio cor-
reptus non possit non summum,
quem inde sensit, pudorem

profiteri publicè, dum: Pudaît,
inquit, me hætenus precariò
fuisse Philosophum & Poëti-
cam quandam Physicam me
meosque Auditores delinivisse
& utrisque tanquàm incan-
tamento quodam fecisse fu-
cum.

In paucis ergò Sragiritæ scri-
ptis paulatim adolevit ipsa Phy-
sica, vultu tristisque severò, do-
nec seculo XV uti aliarum at-
tium, sic & Philosophiæ Natu-
ralis Studium coëpit esse paulò
felicius, quam erat sæculis pro-
ximè antecedentibus. Quum
enim Græcum Imperium à Tur-
cis miserè vastaretur, Veteres
migrando Coloni in Occiden-
tem delapsi primum in Italiâ,
mox & in Germaniâ aliisque
Europæ Regionibus Græci ser-
monis studium excitant ita,
ut præclari Philosophiæ Scrip-
tores Plato, Aristoteles, Them-
stius Theophrastus interjectis
paucis annorum revolutionibus
in Latinam transferrentur & ab
utroque Plinio, Scaligero, Car-
dano atque aliis magis magis
quæ excolerentur. Magnam
hîc penes Eruditos gratiam inuit
Theodorus Gaza, qui Neutalis

Scientiæ argumenta quærens
Historiam Plantarum à Theo-
 phraſto, *Animalium* verò ab A-
 riſtorele conſcriptam huiusque
libros de partibus atque generatio-
ne animalium Latine reddidit.

Interim ſterilis adhuc & in
 primis iuventutis annis experi-
 entia haud magnæ erat natura-
 lis diſciplina, donec ineunte hoc,
 quod jam ad finem properat,
 ſeculo XVII in apertum ſe ſlo-
 rem induerit, dum Magnus
 quondam Angliæ Cancellarius
 Franciſcus Baco de Verulamio
 veterum aliis excuſſit, & quæ
 erat Sapientia atque eruditione,
 in emendanda augendaque Phy-
 ſicâ Experimentali omnem movit
 lapidem. Improbavit is in-
 genia vel in admirationem
 antiquitatis, vel in amorem &
 amplexum novitatis effuſa:
 laudavit, quæ ejus ſunt rem-
 peramenti, ut modum tene-
 re poſſint, ne aut quæ rectè
 poſita ſunt ab Antiquis con-
 vellant, aut ea contemnant,
 quæ rectè afferuntur à Novis.
 Arbitramur rectiſſimè hoc ma-
 gno Scientiarum & Philoſophiæ
 detrimento fieri, quum ſtudia
 poſus ſunt antiquitatis & novi-
 tatis, quam judicia. Veritatem

autem non à felicitate temporis
 alicujus, quæ res varia eſt, ſed
 à lumine Naturæ & experientia,
 quod æternum eſt, petendam,
 „ Et quia credidit Arabes, &
 „ Scholaſticos (ipſius modo
 „ verba referam) ſcientias po-
 „ tius contriviſſe numeroliſ
 „ tractatibus, quàm pondus
 „ earum auxiſſe, oſtenſis prius
 erroribus & Scholarum ulceri-
 bus manum hiſce Medicam ad-
 movit atque aliam emergendi
 viam oſtendit, quæ per conti-
 nuam effectuum naturalium
 obſervationem & tentanda indi-
 ces experimenta rerum cauſæ
 ita demonſtrari poſſint, ut no-
 lentes etiam volentes ad aſſen-
 ſum trahere valeant. Haud
 multò poſt ſtrenuas ipſi in ex-
 purgando hoc Angiæ ſtabulo
 ſupperias tulit Renatus des Car-
 tes, nobili in Galliis ſtemmate
 prognatus, ut ex ſplendidiffimò
 ejus, quod in ſacrario quodâ Pari-
 ſienſi nuper videre licuit, Epita-
 phio conſtat. Hic ſi quis alius an-
 tiquâ Philoſophiæ faciè prorfus
 immutavit. An autem in melius
 mutavit, an in pejus, de eò &
 multæ & vehementes & diutur-
 næ paſſim intercedunt lites, ne-
 ſcio

scio quando finiendæ? laudatur ab his, culpatur ab illis. Hic virum ad astra tollere, sequi, probare ferè semper: Is contra reprehendete, accusare, damnare, ut majori quis discrimine inter utrosque statuatur arbiter, quam Paris inter litigantes de formæ præstantiâ Deas, tam est suæ quisque addictus sententiæ. Liberè tamen, Auditores, dicam, quod hæc quidem sentio: Singulari prorsus & insigni DEI beneficiò didicisse tandem homines ratione ita uti, ut non amplius sint, sicut equus & bos, quibus non inest intellectus, sed ab insolenti Veterum Autoritate emancipati in quovis doctrinæ genere in ipsam veritatis lucē intueri possint, nec umbrā pro eorum vel pro Junone nubē amplectantur, h. e. inanes pro rebus sonos & sine pondere voces. Quod autem tantum in universi hujus naturā indagandā profecerint, nescio, annon bonā ex parte acceptum sit Cartesio ferendum, qui novā planè methodo eam tandem & iniiit & aliis ostendit viam, quā & Creatoris existentiam & singulas φυσικῶν naturalium causas, more planè Geo-

metrico ita clarè & distinctè explicari possint, ut vix amplius de iis dubitari possit. Nemo tamen mihi persuadebit, eum à rectō veritatis tramite nunquam aberrasse, quin comperitum habeo, ut plurimarum rerum naturalium causas optime detexerit, ita humani sæpe quid esse passum, à nullō mortalium alienum. Quod autem & Atheorum numero à nonnullis sit ascriptus, illud & durum nimis est & à strenuō ejus Vindice Tobia Andreæ masculè refutatum. Quid quod ipse Philosophus tum in romis dudum publicatis, tum in Regiis Christianæ Svecicæ scriptis adhuc delitescens manuscriptis innocentiam suam satis explicavit, nec juratos sibi adversarios unquam dimiserit inultos, quorum agmen ferè duxit Petrus Gassendus, quem, instar omnium hic nominasse sufficiat. Dum enim in Belgio Philosophatus est Cartesius, Gallia hunc Gassendum alebat, Virum in veterum monumentis versatissimū, qui Epicuri potissimum & Democriti doctrinam ex Orcō revocavit atque propriō, quō mirè excelluit, inge-

nō ad exornandum corpusculi-
laris Philosophiæ studium mul-
tum contulit eaque propter
magnam penes Nostrates grati-
am iniisset, nisi coarctatum sibi
Cartesium tot calumniis irritas-
set, quod pessimè habet ejus Se-
cutores, Dn. Le Grand, Tatting-
hosiū, Lipsdorpium, Consen-
tinum, Regium, Rohault, Clau-
bergium, Svicerum & quem an-
nō nuper decrepito Parisiis in
Collegio Plessio è Cathedra
profitemem, coram admiratus
sum, Dn. Du Hamel, Philoso-
phum nostri seculi famigeratissi-
mum. Cæterum cum multa
Cartesii dogmata hypothesis
innitantur vix semper probabi-
libus, Natura autem, ut cordatè
judicat Helmontius, non amet
hypotheses, sed nuda spectari
desideret, hinc à Modernis ad
experimenta rursus itum, quæ
tantò hodie fervore in omnibus
Europæ locis peraguntur, ut in
summo jam plenoque ætatis vi-
gore constituta videatur ipsa
Physica. Quanta bone DEUS!
quanta non præstiterit Illustrissi-
mus in Angliâ Boyleus, ejus
aureos discipulus & conspectum
venerabilem cum Interprete A-

bercombio pro æstimatissimo,
quem ex Anglico nuper itine-
re reportavi, thesauro reputo.
Quanta conterranei Digbaeus,
Hooekius, Willisius, Wallisius,
Grevv, Needham, Lovverus,
Pappin, binique *Rei Botanica*
Restauratores Morison atque
Rajus! quanta non Hubinus, e-
minentissimus in Gallia Me-
chanicus, Vernejus, du Blegny,
Lemnery, Mery, Malebranche
& alii! quanta non Lynceus in
Italia Malpighius! quanta in
Belgio Drelincurtius, Hermannus,
Volderus, Senguerdus, Nucki-
us, Levenhœck, Ruyschius,
Bidlovius, Sylvester & alia dul-
cissima mihi nomina! quanta
Bartholini, Paulli, Borrichii,
quibus Dania superbit! Nec
ultimos & ab omni humanitate
remotissimos Indos atque Gara-
mantas ab hac Scientiâ multum
alienos esse credere me jubet
Plinius illorum *Sinicus* vel solis
characteribus admirandus & in
selectissimâ Per-Illustris Dn. Lu-
dolfi bibliotheca conspicien-
dus; ad quem utinam *invento*
suo *Brandenburgico*, seu quam
meditatur, *Clave Sinica* acces-
sum pararet Vir in hisce Ver-
satisli-

fatissimus Dn. Andreas Müller, Præpositus quondam Berolinensis, quò tandem obviam ire liceat tot subleſtis hæcenus contradictionibus, quas Benza, Bonzius, Acoſta, Cleyerus, Kircherus, Laet, Linſchottus, Margravius, Martini, Nihofius, Piſo, Recchi, Franciſci aliique *Rerum Indicarum Scriptores* nobis reliquere. Quid verò multa de Extraneis, cum nec Germania noſtra adeo ſterilis ſit, quin Viros alat ſcienciæ huic addichſſimos, Volckameros puſa, Majores, Mothoſios, Guericke, Menzelios, Pechlinos, Langelottos, Ammannos, Bohnios, Wedelios, Waldſchmidios, Dolæos, Reiſelios, Sturmios, Eckartos, Poſneros & quos non ? dies me deficeret, ſi pretioſiſſima ſingulorum inventa hæc oſtentare vellem; quibus acceptâ demum annorum maturitate vix intra privatos amplius parietes latuiſſe contenta Phyſica Experimentalis in integras tandem *Academias* ſuecrevit, ſeu, ut vulgò audiunt, *Collegia Curioſa*, quæ inter agmen ferè ducit Regia Anglorum Societas, cujus ortum & progreſſum patriô ſibi idiomate conſcri-

piſit Thomas Sprat & ex eo ſummatim Tranſactiones Anglicæ. Collegarum verò numerum obſervationibus ſuis Chymicis olim addidit Kunckelius, ſicut & diſpenſatorium Londinenſe illis pariter illustratur. Poſtquam ſcil. turbulentiſ Cromwelli temporibus Eruditorum quidam Tyrannici Regni radia tentaminibus Philoſophicis delinire ſtudebant, eaque propter certis diebus in privatis Per-Illuſtris & Londini Celeberrimi Chymiſtæ Boylei adibus conveniebant, reſtituto verò poſt Carolo II. Rege legitimo cœptum illud alius urgebant, Rex rei magnitudine permotus tandem curam ejus geſſit, atque Regiam hanc Societatem anno 1660 inſtituens tantis illam privilegiis decoravit, ut præter Ducem Eboracenſem, Regis fratrem alioſque regni Proceres & ipſi Regium donare nomen haud recuſarit, factaque Exterorum acceſſione Collegarum numerus parvò temporis intervallo ultra centenarium creverit. Nî grave fuerit, And. tribus adhuc verbis hodiernum Societatis hujus ſtatum Vobis referam, quæ hebdomadis ſin-

gulis, die Mercurii in dicatō sibi Collegiō Greshamensi, haud longe à splendidissimo, quod Orbis habet, manodochio, Anglis *the new bedlam*, dissito, convenire solet, ad cuius introitum tabula est suspensa, quæ annuum Collegiarum numerum ostendit. Tota nimirum Societas constat ex Collegiō Generali & XI sub-Collegiis, quæ utrobique suis gaudent Thesaurariis & Secretariis, quibus stipendia dicata sunt amplissima. Scopus ejus est collimat, ut rerum naturalium indoles ex intimo Naturæ recessu eruat, erutas certis experimentis stabiliat, stabilitas denique in Actis suis Philosophicis Publico communicet. Nec alios sibi fines in Gallia posuit Regia Pariensium Societas, quæ in Regis Christianissimi bibliothecâ singulis hebdomadis convenire solet. De laudabili verò Eruditorum conventu, qui in Celeb. Dn. Roquii ædibus omni Jovis die colligitur, nemini non constabit, cui ob insignem, quo Exteros honorat, amorem & accessum hæc publicas ago grates: Eruditio autem ejus ex egregiō diario *Journal des sçavans* jam

ab inde cognita, quod Latinitate donatum D. Nitschio in acceptis ferunt Eruditi. Quin ex eodem conventu præter lapsō nuper annō prodiit haud absimile *Journal de Medecine*, quod Bayle Rotærodamus in *Novellæ Republicæ Literariæ* haud ita pridem in compendiō recensuit. Taceo ea, quæ in horti Regii introitu, partim à successore Dn. Charas, partim ab Illustri Vernejo Parisiis indies instituuntur exercitia. Nec de Collegiō Rosianō multum gloriari licet, cum aurei, quos pollebatur, montes nondum sint conspecti. Quare alpes jam transcendimus, ut Italiam admiremur Academiis ejusmodi & Collegiis præ aliis superbientem, quæ longâ serie numerantur à B. Dn. Sachsio in *Gamma-vologia*. Tria tamen sunt, quæ præ aliis usque eminent: Collegium sc. Experimentale Florentinum, Academia del Cimento dictum: Academia Lynceæ, quæ Romæ est: Et nuper Patavii cœptum Collegium Recuperatorum, quod haud paucos è Germanis nostris indies adsciscit. Dum verò jam vestrum

mihî nomen excidit, Germani venerabiles, parum abest, quin æmulo ad terram rubore perfundar, quòd, quam primò nominasse fas erat, S. R. I. Academia Naturæ Curiosorum penitus obliviscar! sed dabitis aliquid communi, quæ Vobiscum mihî interest, necessitudini, partim & solitæ civilitati, quâ Exteris tempestivè cedendo aliarum gentium insolentiam modestiâ perdomare noscitis. Sicut autem ortum hujus & progressum jam ante septennium ex hoc ipsò locò ventilavi publicè, ita nostris hodie temporibus ad summum splendoris apicem adscendit, dum Invictissimus Orientis Triumphator LEOPOLDUS I. Romanorum Imperator semper Augustus raptu planè Divinò tantâ eandem gratiâ prosequitur, ut non solum donis verè Cæsareis Collegarum aliquos clementissimè affecerit, sed sub mediò licet Martis incendio datis de novò privilegiis Societatis hujus curam gerere acquieverit, quæ serienunquam interruptâ ad posteros propaganda Imperiali propediem Bullâ ratificaturus erit Gratosissi-

mus Academiae Protector, Emimentissimus atque Reverendissimus Elector & Archi-Episcopus Moguntinus, DN. FRANCISCUS ANSHELMUS, quem humi prostratâ reverentiâ modò publicè suspicio. Ut verò jam cetera expediam, Societatis hujus scopus & intentio laudatissima ex annuis partim *Miscellaneis*, partim & curiosis Socionum opusculis satis constat, quibus omnes in triplici Naturæ regnò difficultates experimentis indies factis expedire laborant. Sic primus Academiae Præses D. Bauschius præter alia jam perfectissimè *unicornu fossile* absolvit, Fehrius *absinthium*, Mollenbrock *cochleariam*, Sachsius *vitem* atque *gammaros*, Grabe *cerurum*, Hertodius *crocum*, Wedelius *opium*, Tillingius *lilium*, Hagedornius *cynobatam*, Clauderus *cinnabarin*, Scharfius *juni-perum*, Schroëckius *moschum*, alii alia. Quodsi coeptus hic Philosophandi impetus usque perduraverit, Jovem lapidem jurare ausim, brevî temporis intervallò certum, quod hæcenus in postulatis est, studii Physici complementum expectandum.

esse: Duraturum autem credere me jubet summa, quæ studio huic adjuncta est, amœnitas.

Sicut enim omne tulit punctum, qui utile dulci miscet, ita Scientia Naturalis utrobique habet, quo sedulis amatoribus exasse satisfiat. Quid enim est, quod & oculos hominum & animos majori cum delectatione pascit, quam tot rerum vicissitudines, causas & fieri modos indagasse? quid admirabilius tot minerarum fructus ab Agricola, Kircherò, Erekero, Jonstono, Becchero erutis? quid tot herbarum speciebus à Dioscoride, Matthiolo, Trago, Lobelio, Lonicero, Paulli, Morisone, Rajo, Hermanno, Ammanno aliisque depictis & in hortis Europæ Academicis undique conspiciendis: Patavino, puta, Parisiensi, Oxoniensi, Londinensi, Leydeni, Amstelodamensi, Argentoratiensi, Altorffino, Norimbergensi, Eichstettensi, Gissensi &c? Quid Speciosius tot animalium insectorumque myriadibus ab Aristotele, Gesnero, Aldrovando, Franzio descriptis? Ecquid

jucundius inæstimabilibus concharum aliarumque rerum naturalium thesauris, quos Illustrissima Magnatum *Gazophylacia* indies ostentant, Cæsareum puta Viennense, Regium Hassnense, Electorale Monacense, Ducale Gottorpiense aliisque Germaniæ *Musæa*, Hamburgense, Dresdense, Hanovienense, Ulmense, Francofurtensia ad Mœnum, in ædibus Schefferi, Waldschmidii, Banzæ: Marburgense Domini Peikenkamp; & quæ apud Exteros spectantur in ambulacro horti Lugdunensis scinquoque Drelincurtii: Ambstelodami, in Theatro Chirurgorum Anatomico atque ædibus Dn. Ruischii, Bidlovii, Magazinis Indicis: Hagæ penes Nuckium: Delphis apud Levenhoeck &c. Nescio tamen an oculis ullibi meis tanta usurparim, quanta Londini Britannorum in Musæo Greshamensi, quæ ex catalogo illuc edito Curiosis in compendio exhibent *Acta Lipsiensium*; Oxoni item in superiori Amphitheatri contignatione horroque Academico ter mille herbarum speciebus inclyto. Nec

minori cum admiratione spectares ea, quæ Regius Galliarum Anatomicus Du Verney undique collegit & in repositoriis, Theatro Parisiensium Anatomico contiguis, asservare solet. De stupendis verò Italiae deliciis ne verbum amplius addidero, nisi quòd summa me commiseratione teneat deplorandum Malpighii fatum, qui ex nuperrimò, quò correptus est incendio universi & librorum & rerum naturalium suppellectilis jacturam tulit, proh qualem!

Ut verò dolorem ex optimi Viri infortunio conceptum aliquantulum demulceam, tribus adhuc verbis admiranda Recentiorum experimenta degustare liceat. Utur enim & antiqui Magiæ Naturalis Amatores ea sæpè præstiterint, quæ rerum harum imperitis cacomagiæ suspicionem impressere, qualia sunt Memnonis ista statua auro-ræ salutans: Architecæ columba lignea per aerem volitans: Dædali Venus lignea viventis instar obambulans: Alberti Magni caput æneum articulatè respondens: Drebbelii machina æstum maris ostendens: Kir-

cheri aliorumque opera stupenda: Omnia tamen hæc levia sunt, si admirandas Torricellii, Clerckii, Ottonis à Guericke, Schotti, Boylei, Hugenii, Papi-ni, Volderi, Senguerdii, Stur-mii, Stairii aliorumque machinas observes, quæ invisibilem omnino ærem exantlando sonoris sonitum, gradientibus motum, viventibus vitam & adimere & pro lubitu quovis tempore restituere valent. Dicant se vitæ atque mortis Imperatores ipsi Medici, majori tamen jure istæ hæc Physicis relinquenda iudico. Physici enim sunt, qui non morti modò, sed & vitæ imperant, cum Medici sæpè per ægrotorum mortem experimenta faciendo hoc honore excendant. Physici sunt, qui tumulatas incineribus ideas à morte resuscitant, quod ex hoc ipso loco desideratissimum Hassiæ lumen Johannes Tackius olim sapius ostendit. Physici sunt, qui sympathia prorsus admirabili distantiſsimos mundi circulos attingere, animos hominum incantamentò quasi flectere variasque corporum alterationes procreare norunt, quod ut uber-

rimam Theatro Sympathetico materiam, ita curioso literarum commercio, Digbæum inter & beatissimū nostrum Straußum olim habito, ansam dedit. Multa hīc de stupendis Cameræ obscuræ effectibus, laternis magicis, cistis catoptricis, microscopiis, prismatibus, thermometris, barometris & aliis explicanda forent, nū tempus silentium imperet & admiranda Naturæ jucunditas jam suā luce radiet.

Sed ecce! dum jam vela contraho, quosdam audire videor, qui tacitè mihi succensere amant, quòd jucundam quidem experimentorum svavitatem omni studiò adstruere nitar, conjunctam verò difficultatem subdolè reticeam. At salva res est: Non enim diffiteor, quòd abdita Naturæ claustra cuius sine labore haud sint patula, hinc enim abdita audiunt, hinc abstrusa, hinc recondita. Interim haud invia est ad virtutem via & emergens inde commodum omnia largò fœnore compensat. Sit salebrosa experimentandi via, sit pretiosa,

sit laboriosa, omnes tamen hæc difficultates curiosum Naturæ Scrutatorem nequitiam absterere poterunt, cum certus sit, se tramite hoc facilius ad Naturæ thesauros penetrare & quas alii struunt insidias eò promptius superare posse. Sicut enim illic in addiscendis Physicæ præceptis

*Segnius (ut Horatius habet) irritant animos demissa per aurem
Quam quæ oculis subjecta fidelibus & quæ*

Ipsæ sibi tradit Spectator,

sic in convincendis adversantium strophis unicò sæpè experimento plus efficitur, quàm mille Scholarum argumentis in Barbara & Celarent. Suo hoc exemplò confirmat Joh. Valentinus Willius de itineribus Philiatorum Germanorum, dum sæpè obmutui, inquit, ad rationes Chymicas, Anatomicas, Mechanicas, Mathematicas, ipse traditionib⁹ ad verba Magistrorum asvetus. Hinc animi fervidisimā emulatione eosdem consului, qui alios docuere Magistros: Cultrum, rhizo-

rhizotomum, ignem, aquam,
machinas. Parallela est hi-
storia quæ in Regiomontana
Borussæ Academiâ olim acci-
disse dicitur. Disputabatur il-
lic de possibilitate transmutati-
onis, quam thesium Præses ita
ibat inficias, ut omnes illam
adstruentes rationes acceptare
recusaret. Intererat autem du-
ello Chymicus quidam rerum
harum expertissimus, qui id æ-
grè ferens Helmontii argumen-
tum eligit, qui in simili discrimi-
ne sententiam suam adstru-
cturus, in furnis, inquit, nostris
ita legimus. Atrepto igitur fur-
nulo portatili carbonem inflat &
in ipso auditorio magnò cum
adstantiam applausu projectio-
nem publicè instituens: Hunc
ad Præsidentem inquit, hunc mihi
solve syllogismum. Pari Herclè
ratione comparatum est cum
Physicis Recentiorum experi-
mentis, ad quorum intuitum
jam omnes Scholasticorum ex-
ercitus receptui canunt & in fu-
gam dati per auditorum pon-
tem ad qualitates occultas, tan-
quam ad sacram anchoram, quâ
data porta, ruunt.

Verum ignoscite, Patres A-
cademiæ Conscripti, ignoscite
quæso, quòd liberius iusto agens
autoritate vestra jam abuti at-
que jocos modò seriis immisce-
re audeam. Nec enim animus
mihi est recepta Veterum prin-
cipia tanquam sexagenarium u-
nò impetu de ponte dejiciendi,
cùm & iis olim per tempus be-
nè multum oleum impenderim
& oleam; quin amicabili con-
nubiò antiqua semper novis ma-
ritando atque veritati ubique
primas deferendo Veterum in-
venta, modò Antecessoribus
meis haud insolitò, recentissi-
mis Modernorum experimentis
ultrò corroboraturus sum, cùm
Statutis illud Academicis adeò
non contrarietur, ut expressis
potius verbis illic cautum sit.
Sicut enim hæc Philosophandi
methodus jam in plerisque Ger-
maniæ Lyceis magni penditur,
ita ejus Academiæ nostram
prorsus sterilem esse, ab omni
æquitate alienum esse judico.
Quin potius ea, quæ hæc in pa-
te à tenuitate meâ proficisci po-
terunt, in ultiores ejusdem ac-
cessiones datâ operâ collocatu

rus sum; quod ut summis ha-
cenus in votis habui, ita occa-
sionem hanc à Clementissima
nostra Principe subministratam
& commodam satis & gratissi-
ma animi devotione dignam
agnosco. Quod ut expedi-
am,

TIBI

O TRININE DEUS

Rex Regum & Dominè Do-
minantium Tibi ex intimo cor-
dis recessu grates persolvo de-
votissimas, quod ab ineunte ju-
ventute studiis meis clementis-
simè benedicere & quem

*Per varios casus, per tot discrimi-
na rerum*

mirabiliter haecenus duxisti, Pa-
trix restituere, in adversitatibus
quibusvis ac infortuniis consola-
ri tandemque vitam meam atq;
studia Divinà hac & paternà vo-
catione Tibi curæ esse volueris.
Da benigne DEUS, ut sparram
hanc coelitus oblatam ita sem-
per administrem, quò coepta
mea & conamina in Divini Tui
Nominis honorem, Patriæ cele-
britatem Proximique commo-

dum unice vergant. Esto mi-
hi in petram fortem & in do-
mum munitam! sis mihi omnis
Polus, qui cum Filio Salvato-
re Spirituque Tuo sine fine re-
gnas, Tibi sit honos & decus &
gloria in aeternum!

Post DEUM immortalem ad
Augustum Serenitatis Tuae Thro-
num cernuus devolvor, IE-
LUSTRISSIMA PRINCEPS,
quæ ut Patriam haecenus nos-
tram Tutela Principali salvam
conservasti atque tectam, ita stu-
dia mea ab interitu vindicare
& dum jam aliis ad ultimas de-
sperationis incitas reductus vi-
deri poteram, è pulvere ele-
mentissimè erigere acquievisti!
Quid vero Tibi rependam, Prin-
ceps Serenissima, quæ dona fe-
ram atque munera pro tanta,
quam in me exetisti gratia?
certè cum præter vota in viri-
bus nostris nil sit reconditum,
isthac Tibi offero, sed ingenua,
sed sincera, non improbi, non
ititania, vel ad speciem efficta.
Deus Te servet Princeps Cle-
mentissima, cum Illustrissimo
HÆREDITATIS PRINCIPE
& Universa Domò Principali!
(M) Deus

Deus Teservet & sub felicissimò regimine nullis unquam temporum injuriis arietandà valetudine ac prosperitate Principali eccelsus inundet! hæc calidis à Deo suspiriis ex animò voveo subjectissimo!

Abhinc & vestra venerabilis mihi recordatio est; Eminentissimi Consilarii Principales: Tua Per Illustris Dn. de Gerdingen, Hassiæ nostræ Salomon, quem ut vultu referas atque actionibus coram admiratus sum: Tua Inclute Malcomesi, in quo per orbem volitans Taboris genius ita revixit, ut vel ipsa Themis in selectu hæsteret: Tua Generosissime Dn. de Geismar, qui subinde nostras aliquid putare nugas & gratiofo non minus quam rationali judicio scripta mea atque studia sæpè sublevasti: Vestra inquam venerabilis mihi recordatio est. Per Vos enim hanc cathedram conscendi: Per Vos jam publicè pro concione dico: Per Vos & Patrio mihi Heliconi litaturus ero. Hinc gratias suscipite prolixas,


non quas ferre debeo, sed quas cunque valeo.

Nec vestram, Patres Academia, sinceritatem hec minoris æstimo, quòd & destinatum in Collegiò vestrò locum amicè indulgere & honorificà modò præsentia me reapse sustinere complacuerit. Sicut autem hæc infusio animi respectu lubentissimus amplector, ita seriò jam ad stipulor, me omnes eò nervos intensurum, uti Collegam habeatis amicum, tolerabilem & honoris vestri cupidissimum.

Tandem & vestra, Cives Academicici, Civilitas hic ne utiquam rejicienda erat, quòd agmine hoc factò convolare, vacivas ad tempus aures commodare ac applausu denique vestrò me dignari volueritis. Perte domum grates ac parilem à me affectum expectantes cerò credite, quod nemini unquam studia mea sim deægaturus, sed pro virili gratificaturus. En dextra fidesque!

DIXI.

DE



DECLAMATIO PANEGYRICA IX.

In Obitum

B. DN. SEBASTIANI SCHEFF-
FERI, *Medici Francofurtensis.*

P. P.

A Deo NUNQUAM OTIOSUS est juratus mortali-um adversarius, ut & iis, qui de hominum genere optimè mereri student, omni momento ruinam intenet & exitium. Momentum equidem est, quod vivimus: Momento temporis maximarum in Mundo rerum monumenta vertuntur: Momento temporis admiranda illa Microcosmi compages dissolvitur. Quod vivimus, momentū, sive à pueritiā ad extremā senectutis metam eatur, sive primam aetatem adolescentiæ confinium confecerit, sive prima ingressus

hora fatalis fuerit; nec adeo quæcunque in longiori vitā vel adpectu afficiunt, vel usu blandiuntur, stabilitatis ullum firmamentum præstant, ut rapidissimo potius cursu à sui Cultoribus auferantur, non secus ac Urbes & terræ ex oculis evanescent, è portu solventium. Momentum erat, quod numerosus Xerxis Exercitus vivebat, atque illud brevitatis momentum lachrymas Imperatori expressit, sive in illā propriam miseriam animō obiret, sive simul suorum fugacitatem contempleretur. Non opus est cum

Plinio longinqua peregrinatione in Pontum divertere, atque in illâ animalia investigare, adeo angustis vitæ terminis inclusa, ut diei unius summò mane nata, vigeant meridiè, vespere verò consenescant vivendique finem faciant; nostra hæc hominum communis fors atque conditio est, hic

Quem dies præsens videt esse natum

Hunc dies vidit veniens solutum.

Desideras vitæ hujus caducæ vera emblemata? ista dabo: Umbra, Bulla, Somnium, Fœnum, Fumus & qui alii vanitatis & inconstantiae tituli vitæ humanæ tum in sacris, tum in profanis literis longò catalogò impositi deprehenduntur. Ludus sanè vita nostra est, ut cum non sumus, nascamur & cum fuerimus nati, dissolvamur rursus. Somnium sumus, non consistens, prætervolans avis, navis in mari vestigium non faciens, pulvis, vapor, flos suo tempore nascens & marcescens suo tempore. At verò Psaltem Divinum audiamus ita in rem con-

cionantem: Homo sicut fœnum; dies ejus tanquam flos agri efflorescunt, quoniam spiritus pertransibit in illò & non subsistet & non cognosceat amplius locum suum. Hæc profana sacraque pagina docet. Hæc experientia loquitur & iterato *Academiae Curiosa* fata, heu! quam tristia! Vix enim se ventis commiserant Argonauticæ Classis Heroës & ex tristi eorum, qui ad expeditionis hujus clavum sedebant, jacturâ, vela jam plenò ventò turgida contrahere jubebantur. Occumbebat *Baufebius*, primum eruditæ conspirationis caput, dum in urgendis ejus progressibus omnem movebat lapidem. Et utur ex promerita postmodum Per-Illustris *Febrii* successione pristina omnia tranquillitati viderentur restituta, mox tamen iterata ex tristissimò *Sachsi*orum *Welsch* orumque obitu tempestas imminabat, quorum virtus & sedulitas quondam *Academiae Nostræ* splendorem scenabant haud obscurum. Ita duplici demum fato satiata *Nemesis* inducias hæcenus indulgere

vifa est. At verò ut Athletarum habitus, cum ad summum pervenit, periculossissimus audit Hippocrati, ita quàm in excelsò celebritatis fastigio superbit maximè S. R. I. Naturæ Curiosorum Academia, verendum omnino est, ne præcipiti lapsu ruinam expectet multo acerbior. Mali equidem, quin pessimi omnis res est, quod de novò illi, qui in promovendâ Societate tam laudabili erant toti, præmaturò mortalitatis suæ terminò rursus infestentur, quos inter haud minimus quondam erat Excellentissimus Vir

DN. SEBASTIANUS SCHEFFERUS,

*Med. D. Diversorum Imperii
Statuum Archiater, Illustris Rei-
publicæ Francofurtensis Medic.
Sæpe R. I. Acad. Nat. Cur. Ad-
iunctus quondam Meritissimus,*
homo tempore non sine multo
Eruditissimorum quorumvis con-
sternatione vitâ defunctus. Vix
Suffenus mihi ero, ut iacturam
à toto Republicæ literariæ con-
sortio exinde conceptam verbis
exprimam. Tanto enim, dum

in vivis erat, amicitiae foedere
mihi iungebatur, ut ad deside-
ratissimam Nominis Ejus me-
moriæ tantum non penitus
obmutescam. Quapropter ne-
mo mihi vitiò verteret, si jam ali-
unde potius mutuatis, quàm do-
mi natis & ob excruciatum do-
lore animum cespitante calamo
describendis modò verbis utar:
Sunt verò Venerabilis Nostri
Præsidis, D. D. Fehrii, qui li-
teris decrepito nunc anno ad me
datis ita querebatur: Quantum
naufragium fecerit Argo nostra
ex obitu Excellentissimi Nostri
Persei II. vix satis deplorare po-
terit omnis nostra Academia,
Peritissimò hoc Palinurò (proh
dolor!) jam destituta penitus.
Vereor Ego plures ejusmodi
procellas ac tempestates expe-
ditioni nostræ plurimum infe-
stas ejusque interitum intermi-
nantes, quas tamen Deus T. O.
M. Summus noster Guberna-
tor clementissimè avertere ve-
lit!

Interim

*Durandum & Nosmet rebus ser-
vare secundioribus!*

Non minorem inde luctum sen-
tiebant

tiebant alii ex Universâ Europâ
 Celebratissimi Medici, qui vel
 adhucdum ad Beatissimi Viri
 memoriam largas solvuntur in
 lachrymas. Sit unus instar o-
 mnium, Magnificus *Dn. Georgius Francus*, vel solô nomine,
 tanquam propriâ luce, radians,
 qui, dum in agone jam æger an-
 helaret & à febris, quam vo-
 cant, malignâ jam ferè consum-
 tus esset, hac mihi ratione re-
 spondebat: Inter mille turbas
 „ officii & consultationes cum
 „ D. D. Widtio & D. D. Brun-
 „ nerô (uterque autem Tibi
 „ plurimam salutem!) super
 „ gravissimo affectu Serenissi-
 „ mæ Electricis Viduæ, tristissi-
 „ mum Tuum accipio nunci-
 „ um, quod myriadas lachry-
 „ marum statim mihi expressit.
 „ Vah malum summæ maligni-
 „ tatis! O candidissimum me-
 „ unipectus! Ab omni purgan-
 „ te, clystere & quicquid à pe-
 „ ripheriâ ad centrum malum
 „ retrahere potest, abstinend-
 „ dum, imò satius fuisset etiam
 „ absque V. S. Fugienda salia
 „ acrida, calida, valdè spirituo-
 „ sa. Quæ mea mens sit, vi-

„ de ex literis ad ipsum oculis
 „ sinum meum: ἀδύλατον δὲ δια-
 „ τικτὸν promovenda, sine ta-
 „ men sudoriferis, ne abjectæ
 „ vires penitus conflagent.
 „ Deus Optimus Maximus ex-
 „ audiat suspiria mea, quæ pro
 „ intimo & Principe Amico
 fundo. Vale! Prorsus verò la-
 mentabilis & verè querula est
 Amici haud infimæ sortis con-
 testatio, quam sequentibus ad
 me verbis expressit: Ah grave
 vulnus, quod accepimus! ita-
 ne tam citò *Schefferum* (ô dul-
 ce nomen) Nostrum oportuit
 hinc transire illuc, ubi vita est
 quam nulla contaminet ægritu-
 do! ô acerbum, quod sui reli-
 quit desiderium! Amisi singula-
 ris indulgentiæ Patronum, can-
 doris nivei Amicum, grande
 mearum fortunarum solacium.
 Quibus ex causis necesse est, tan-
 quam immaturam mortem Ejus
 in Amici sinu affatim eeu qua-
 dam dolendi voluptate desiccam:
 Si tamen fas est aut flere aut o-
 mninò mortem vocare, qui
 tanti Viri mortalitas laboriosa fi-
 nita magis, quam vita est. Vi-
 vit enim, viverque in æternum

atque etiam securus extra teli
jactum consistit, postquam è
seditiosis seculi nostri tumultu-
bus in tempore recessit educen-
te Deo. Schefferus jam tenet,
quod Nos persequimur: Frui-
tur bonis, quæ Nos caremus:
Coramintuetur, quæ variisima-
ginibus quandoque lucis glorio-
sæ angustiam in pias mentes e-
vibrant. Aditus mortis ipsi
fuit brevior, sed hic ipse suf-
fragiò felicitatis ornandus, quod
longiora tormenta intercepti.
Et ille quidem plenus meritis
abiit, charus Deo excessit, in
altâ Patriæ tranquillitate abiit:
Nobis tamen quærendus ac de-
siderandus est: Mihi verò præ-
cipue quod me non vulgariter
dilexerit! Sit memoria Schef-
feri sin pace! Hactenus Ami-
cus.

Quod verò mearum erat par-
tium, jam ex indurato hactenus
dolore nonnihil respirans per
speciale Totius Academiæ arbi-
trium, Legibus Nostris satisfac-
iendum adeoque iuxta persol-
venda sunt Beatissimis D. fide-
ratissimi Collegæ Manibus, qui
quicquid temporis caduci fuit,

id omne in Creatoris Sui, Dei
T. O. M. gloriam Proximique
commodum elocavit: & utut
maturè nimis vivere desierit,
reliquit tamen, quæ vixisse Eum
seris temporibus testantur. Vi-
talem ille auram primam in Im-
periali Francofurtensium Ci-
vitate hausit, anno currentis
modò seculi XXXI, die post Ca-
lendas Januarii primo, ex ho-
nestissimo Viro, *Dn. Wilhelmo
Ernesto Scheffero*, Med. D. at-
que Practicò hujus loci Celebra-
tissimo, *vixit ætate*: Matre ve-
rò Ursula, Familiæ Egerianæ
satis Celebris, omnigenarum
virtutum congerie ornatissimâ
Matrona. Prima sollicitorum
Parentum cura erat teneram fi-
lij sui ætatem ita formare, ut in
primis flexilitatis annis virtutis
imbiberet ideam, cujus odorem
per omnem vitam servaret: Er-
gò à primis pueritiæ annis & do-
mesticæ & publicæ in Patriâ
Scholæ commissus tanta suæ in-
dolis dedit experimenta, ut fá-
cile & Docentium amorem sibi
compararet, & suos ad æmula-
tionem provocaret condiscipu-
los. Atque ita pulchrè per
complu-

complures annos ex Parentum & Præceptorum votò succedente institutione ad altiora demum animum applicans, anno M DC XLVIII. Argentinam abiit, inibique per integrum sesquiennium Humanioribus Cursuique Philosophico sedulam navavit operam. Abhinc singulari & à Majoribus hereditariò quasi hausta propensione Studio Medico addictus, anno subsequente MDCL ad Lipsiense Illustre primum, post & Helmstadiense Lyceum se contulit, ut Celebratissimi tum temporis D. D. Tappii informatione frueretur, cujus sub Præsidio paulò post publicam de *Melancholicâ Desipientiâ* disputationem exercitii gratiâ instituit & luculentissima ingenii sui documenta dedit. Quin & in Botanicis, Chymicis, imprimis verò Anatomicis excolendis studiis erat totus & superstiti, quod Theatrum Anatomicum adhuc dum illustrat, sceletro, interveniente Amicorum quorundam adminiculò, æternam sui reliquit memoriam. Quantos vero in Studio suo Medicò huc

progressus fecerit, vel una, eaque sincero & unanimi Eruditorum consensu elaboratissima *Introductio in Artem Medicam* multum hæcenus expectita, edocere poterit, quam sub Illustri *Conringii* præsidio à capite ad calcem publicis disputationibus masculè defendit & (quod paulò ante obitum ex ipsissimi *Conringii* attestazione sanctè adstruxit) propriò Marte absolvit: Quà ipsa non minus, quam *Directorii Moroniani* amplificatione summam sibi Nominis Celebritatem acquisivit. Tot jam in Academico pulvere exantlati molestiis Chymici tunc admodum famosi, *Christophori Farneri* gloriâ allectus, suam huic per integrum anni decursum manum commodavit & operam, nec poenitendos inde fructus consecutus est; quin indefesso labore absconditos secretioris Chymie recessus inquirendo, tantam in rebus his scientiam est indeptus, ut non enigmaticeas Adeptorum Strophas facile odorari, sed aliis Illustri quoque Stemmatibus viris & Actis hujus Amatoribus aliquoties

illic à consiliis fuerit. Absolvit se jam videbatur Studiorum suorum & eruditionis stadium, quod annis bene multis hæcenus indefessò decurrerat, ita quidem, ut, sive doctrinam spectes, sive morem vitæque elegantiam, sufficienti utrobique satisfactione Patriæ potuisset inservire: At sublimioris longè indolis erat *Schefferi* nostri animus, quàm ut solis Germaniæ circulis, tanquam ergastulo se includi passus sit. Quin Exterorum artes & scientias curiosè ambiens, iter haud contemnendum per utrumque Belgium universamque Galliam iniens atque Celeberrimorum quorumvis Medicorum familiaritate usus, non rerum tantùm Medicarum, sed (quæ abundè gaudebat) Naturalium pariter tantam Sibi copiam acquisivit, ut in integrum successivè Musæum Curiosum, triplici Naturæ regno ditissimum, excreverint, adhucdum conspicuum. Peractò sic itinere nihil amplius superesse videbatur, quàm ut Honores Doctorales pro publico dudumque promerito laborum

suorum Studiorumque redhonestimento reportaret, quos anno 1659 in reditu suo Heidelbergæ ab Antiquissima Academiâ Palatina, habita prius eleganti de *Padarthrocace ex variolis* Disputatione Inaugurali Læctioneque cursoriâ, communi Patrum Conscriptorum applausu est indeptus, Pileum & Infulas offerente Celeberrimo quondam Johanne Casparo Fausio Med. D. & Profess. Primario. Domum verò rediens in eò erat totus, ut Artis & Scientiæ feudum in honorem Dei T.O.M. & ægrorum sublevamen elocaret, futuræque Praxeos fundamenta jaceret, uberrimam hîc occasionem adoricens ex diffusissimâ, quâ tum occupabatur, DN. Parentis Praxi, cui senio jam confecto per integrum quinquennium ad ægri lectum crebrisque ad Vicinos excursionibus fidas semper atque filiales suppetias ferebat. Tandem verò ex ineffabili Dei Omnipotentis Providentiâ Parentumque Consiliò felicissimâ matrimonii copulâ sibi junxit Lætiissimam tunc & omni virtutum genere Decoratissimâ

(N)

Virginem,

Virginem, Viduam modò & Matronam Nobilissimam, *Magdalenam Elisabetham*, ex egregia *Braungartiana* Familiâ oriundam, quâ cum in XXIII. & quod excurrit, annum pacificò omnino & laudabili vivens conjugio, V. Liberorum Parens, unicâ sc. filia, quatuorque filiorum: particeps factus, quos inter nonnisi duo usquedum in vivis ad avitam Parentum suorum & Antecessorum gloriam sensim adulescunt, & Schefferiani Nominis Celebritatem, sub immortalibus B. DN. Parentis cineribus tantisper glâscemtem, luculentiori posthâc flammâ alituri sunt. Interim vivit post funeravirtus, nec unquam animò cadent candidissima Schefferi præcordia iis, qui Ejus aut felicissimam in medicando manum, aut infuscatæ sinceritatis amicitiam sunt experti, cujus utrobique manifestissima restant argumenta: Illic quidem tot Principum Personarumque Illustrium desideria, qui oblati iteratò stipendiis sat opimis Honoribusque sublimibus vitas suorum atque Aulas illi, tanquam Archiatro concedere non du-

bitârunt: Hic verò diffusissimum, quo non in universâ modò Europâ, sed extremâ quoque Indiâ inclaruit, literarum commercium, quod in summis habebat deliciis. Spissò indies agmine (oculatus testor) advolabant literæ Virorum valè qualium! Dies me defereret, si specialem eorum mentionem facere sustinerem, quis enim omnium recordabitur? Juvat tamen paucorum meminisse: Habebar in Germania sibi devotissimos *Fehrios, Volckameros, Mauritos, Menzelios, Majores, Francos, Schräckios, Dolao, Reiselios, Fürstios, Pechlinos* &c. In Livoniâ *Wittios*: In Angliâ *Kohlthansios*: In Italiâ *Parinos*: In Indiâ *Cleyeros*, & quos non?

Tanti placuisse Viri non infamatum est.

Unde factum, ut non iteratis modò vicibus in Augustæ S. R. I. *Academia Naturæ Curiosorum Adjunctum* sollicitatus, sed & Celebratissimæ *Recuperatorum Societatis Patavinae membrum* constitutus fuerit, quam utramque spartam, si quis alius, exornavit opumè.

Et hæc quidem Virtutis & Cels-

Celebritatis Beatissimi Schefferi periodus est. Pietatis verò & Christianæ Constantiæ clarissima testimonia è beatò Ejus obitu & ~~obitu~~ non una, exsurgunt. Confluebatur Collegarum Opus, cum Febri Petechiali Malignâ, per contagium haustâ, quæ quidem ab initio occultè sepebat & vix quàm rudera cuiusdam lassitudinis (ut ita loquar) naturalis, è continuâ Præcos defatigatione obortæ simulantia sentiebat, adeò quidem, ut à primò Morbonæ insultu per integrum adhuc octiduum agros sibi concreditos sedulâ indies visitatione fidelissimoque consilio nullibi deseruerit, cum maximò licet vitæ salutisque temporalis dispendio. Latebat enim anguis in herbâ & per cuniculos agens ægritudo sensim crescebat eundo, donec ipsissimò (quod notatū fortè dignum) natali die, qui secundus erat Januarii, aperto Marte insularet Eundemque paulò post lecto prorsus affigeret. Horribilia statim se prodebant symptomata, quæ vel ipsi agro, tragœdiæ hujus non ignaro, spem maxime dubiam faciebant, utur

hæc Domesticis ferè dissimularet, ne terrorem illis ineuteret atque satis jam afflictis afflictionem augeret. Adstanti verò Medico tacitè in aurem insusurrasse novi verba: *ah! malignitas adest*, heu quam maligna! vomitus se continui, vigilia, anxietates nocturnæ, virium summa prostratio, appetitus dejectio totalis, deliria, æstus interni aliaque se conferim sequebantur mala, omne remediorum genus prorsus respicientia, utur tam propriâ, quàm aliorum experientiâ illis masculè obviaverit. Tanto enim furore æstuebat illa febris, ut & Medicum, quem è viciniâ Sibi acciverat, haud multo post parili fatò encêarit. Cùm itaque hæc Medicantium artem vix valere æger conspexisset, seque ad vitæ hujus caducæ exitum vocari signis haud dubiis coniecisset, animæ imprimis curam habendam esse saluberrimò institutò decrevit, accersitoque ad se Sacrorum Antistite, *Do. D. Spenero*, Theologo Devotissimò, postquam peccatorum suorum & rogasset & impetrasset veniam, DEO suo, in cuius manu & vitam & mor-

tem repositam sciebat, se totum commisit, confitus quicquid de se Divina tandem decrevisset Bonitas, in exoptatum Sibi finem cessurum. Quâ spe ad Christum Sospitatore suum directâ constantissimè permansit, donec X. Jan. die, Anni MDCLXXXVI. circa secundam matutinam animam DEO redderet & inter ardentissimas preces creberrimæque Adstantium suspiria piè atque placidè à terrenâ ad cœlestem vitam emigraret, postquam annum in hac mortalitate LV. complevisset. Sic *INSERVIENDO ALIIS CONSUMMATA* quæ ultima verba sunt, quæ inter Cherubinos Angelorum Coetus jam triumphans Amicus mihi valedixit, ah præmaturè nimis valedixit! Interim prorogavit magis dies suos, dum quicquid temporis caduci fuit, virtute supplevit, cœlesti nunc gaudio perfusus.

Vobis autem, *Per-Illustres S. R. I. Academia Naturæ Curiosorum Procures & Collega Honorandi*, Vobis, inquam, Beatissimi Schef-

feri Manes hac vice ultimum dicere vale sui que memoriam insimul honorificam relinquere videntur, cujus summam, quâ Totius Societatis incrementa venabatur, industriam, candorem & sinceritatem illi norunt, qui intus illum & incute unquam agnoverunt.

DEUS verò TRINUNUS, qui ab æternò fuit, est & erit in omnia sæculorum complementa, deplorandum, quod ex maturato Beatissimi Collegæ discessu, sensim dispendium, inexhaustâ Bonitatis suæ Granâ refarciat & Societatem Laudatissimam, non vanæ fortè gloriæ vel turpis lucelli gratiâ, sed merito Divinitatis honore Proximique commodo suffultam curæ sibi cordique esse sinat, Eosque omnes & singulos, qui in hodiernum usque diem pro ulterioribus ejus accessionibus indefessò militant, in seram usque posteritatem clementissimè conservet! FIAT! DEUS BONE! FAXIS! FIAT!

Francfurti ad Mœnum, Calendis Februarii A. 1687.

DECLAMATIO PANEGYRICA X.

In Obitum

**B. D. JOH. FRIDERICI ALL-
MACHERI** *Med. Francofurtensis.*

P. P.

DE *Valerio Publicola* referunt Historici, quod singulari in defunctos pietate ductus, Bruti, Collegæ sui corpus non solum splendide ornatum Populo in concionem vocato proposuerit, sed consensu in simul suggestu in ejusdem laudes epicedia cecinerit, ut *Dionysius Halicarn.* *Plutarchus* & alii testantur. Utinam & ego sim *Valerius*, VIRI PER-ILLUSTRES, utinam, inquam, *Valerius* sim! qui non Brutum quendam, sed Trigam Amicorum conjunctissimorum infeli-

ci triennii cursu proli dolo-rem! perdidi. Recenti enim vulnere usque lugeat *Academia Schefferum*: Lugeat *Allmacherum*: Lugeat *Hassia mea Stratussum*, Antecessorem meum *De-sideratissimum*; quô triplici sa-nè infortuniô ita sauciatus sum, ut parum absit, quin Beatorum Manibus hæc lugentia di-cturus prorsus obmutescam. Sed obdurandus est animus ad infortunia, nec ingrato silentiô memoria illorum recondenda est. Aded enim virorum de Publico benè meritorum fama

(N) 3

tacenda

tacenda non est, ut in cineribus excitandi sint laudum igniculi, quò latius spargantur disseminenturque Virtutum radii. Vivat post funera virtus, quò mortuorum servetur vita, hæcque viventibus in exemplum concedat. Jubet id antiqua XII. Tabularum lex, dum: *Honoratorum*, inquit, *virorum laudes in concione memorantur, easque cantus ad tibicinem prosequuntur.* Jubet id Natura omnibus insita eique sororians consuetudo, quæ & in mediâ Barbariâ viventibus ad Amicorum exitum tristitiam exprimit ululatum. Quicquid enim apud Nos demortuis honoris ac elogii parentationibus, campanis, cantibus persolvitur, id omne Gentiles olim ritibus de rostrò dicendò ac præficarum fletibus urnas implendo peragebant. Adeò nempe grata fuit ab omni ævò demortuorum recordatio, cum primis, qui uspiam in celebritate vixere, ut non ad vitam & mores tantum, sed & naturam ipsam jus hoc accommodatum deprædicent. Unde non Christianis usitatum istum recorda-

tionis morem tantummodò præscripsit Religionis Christianæ amor, pietas in defunctos atque charitas, sed à longis retro seculis id omninò observatum esse Antiquorum monumenta habent. Judæis sanè haud insolens olim erat laudes ac præconia dicere Viris arte Martique claris. Sic Abnero, Duce inter exercitus militares Saulis præ strenuo, manu sicariæ ac funestæ Joabi interempto, quid Davidis luctus vehemens expressit? quàm laudes supremas egregio Duci superaddidit, dum dixit: Nequaquam ut mori solent ignavi mortuus est Abner: Manus tuæ ligatæ non sunt & pedes tui compedibus non aggravati &c. Num ignoratis, quòd hodie Princeps & maximus ceciderit in Israël. Sic Jonathanem de turbâ Maccabæorum egregiè meritum non solum universus planxit populus, laudes & facinora ejus decantando, sed & frater Simon in cedrum immortalis laudis & perennantis gloriæ Mausolæum splendidum exerat positus columnis magnis, armis ad illas in memoriam ævi-

ternam suspensis. Penes Romanos non minus inoleverat consuetudo funeralibus huiusmodi honorare Defunctos, quod tamen manibus tantum honoratoribus primum competebar, ut paulò post ad fœminas similiter cultiores honos ille devolutus sit. Posteaquam enim à Gallis Romani in angustias reducti, nesciebant pecuniæ subsidia colligere ad amovendas hostium fatigationes, Romanæ Matronæ monilibus, clinodiis & quicquid ornamenti erat pretiosi, spontè in curiâ collectis juvabant Rempublicam pressam; hinc & obtinuerunt, ut post fata Matronis Nobilioribus honos iste conferretur. Sic Quintus Filius pietate erga Matrem Pompiliam ductus, hunc laudandi morem observavit. Memorabile quoque est exemplum, quò ipsum etiam Octavianum Augustum duodecim annorum puerum in laudandâ Julia, Avia suâ, secutum, Suetonius Autor est. Competebat autem supremum hoc officium iis, qui mortuum sanguine proximè attingebant, teste Poly-

bio, unde non tantum à filiis Defuncti factitatum fuit, sed & ab ipsis Parentibus, docente exemplò Fabii Maximi, qui ob amissum filium dolorem moderatissimè ferens Orationem funebrem stando recitavit in forò, quod est apud Plutarchum in Fabiò. Postmodum tamen & aliis extra consanguinitatis vincula constitutis id concessum est, sicut in plerisque Europæ Academiis id omninò moris est, ut in Collegarum Defunctorum laudem & memoriam publicè cuidam verba facienda sint, reliquis simul lugubri vestitu comparentibus, ut in Nostrâ Ludovicianâ hoc vertente annò, carentibus ita Statutis, observari solet. Quod pietatis genus, ut omninò Christianum est, ita Legibus æquè ac receptâ usque observantiâ debebatur iis, qui de S. R. I. *Academia Naturæ Curiosorum* unquam bene meruerunt: Quos inter, cum haud infimi quondam ordinis esset Collega Beatissimus

DN. JOHAN. FRIDERICUS ALLMACHER, *Med. D. Diversorum*

versorum Imp. Statuum Archi-
ater, atque S. R. I. Acad. Nat.
Cur. Adjunctus meritissimus ;
hinc & Ejus modò Manibus à
tenuitate meâ justa persolvenda
sunt, eoque magis, quòd &
Venerabilis Dn. Praesidis auto-
ritas illud urgeat & devinctis-
sima, quæ cum amicissimò
quondam Collegâ mihi inter-
cessit necessitudo, spontè qua-
si exigat ; id quod in causâ est,
ut quæ de Vita ejus atque In-
dole relaturus sum, eâ, quâ in
medium adferuntur, facilitate
atque fide acceptanda esse con-
fidam.

Dum verò ab ovo, quod di-
citur, rem exordior, gloriosius
esse duco, si Allmacherum no-
strum suis potius, quàm ex fa-
miliæ generisque picturis & in-
signibus mutuatis coloribus de-
pingam ;

*Nam genus & Proavos & quæ
non fecimus Ipsi*

Vix ea nostra puto,
parumque in eò quidem situm
dixero, quò quis sanguine de-
scenderit, cum omnes (quæ sum-
ma est mortalium conditio)
Dei quoddam genus simus, ut

ex Arato Paulus habet, de quò
ipsi gratulemur, cum ex hone-
stissimâ familiâ suos natales du-
xerit. Patre enim usus est Præ-
claro & in arte sua versatissimo,
Dn. Johann. Friderico Allmacher
Chirurgo quondam Dexterri-
mò : Matre verò Elisabetha Ca-
tharina, ex honestæ Schauliorum
genere prognata. Quibus u-
trobique Parentibus Meisenhe-
mii (quod Palatinatus Inferioris
oppidum est) ex legitimò thoro
in lucem edebatur, anno 1648.
die 5. Decembris, ubi paulò post
sacro baptismatis fonte ablutus,
eodem, quo Pater gaudebat,
nomine, vitæ libro est inscrip-
tus. Verùm uti vegetabilium
semina, nisi fertili terræ manda-
ta, facilitè à pristinâ suâ naturâ
degenerant, ita in naturâ ferè
accidere solet humanâ, ut vel
optimis quibusve geniti, nisi
maturè excolantur, à pristina
suâ origine deflectant. Qua-
propter Sapientissimus parens
eundem doctrinis, quibus pue-
rilis ætas impertiri debet, in scho-
lâ triviali quæ S. Goarti est, eru-
diri curavit. Erat autem in pu-
erò præter docilitatem ingenii
summa

summa suavitas oris ac vocis, ut non solum celeriter arriperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronunciatet. Quâ ex re in pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur clariusque exsplendescibat, quàm generosi condiscipuli animò æquò ferre possent. Paulò post, cum Parentes relicto primò domiciliò Darmstadtium concederent, Gymnasio illius loci Principali est commissus, ubi prima in Humanioribus, ut vocant, literis fundamenta jecit haud poenitenda. Interim sublimius erat juvenis ingenium, quàm ut solis Scholarum ergastulis inhæretet. Quare ad altiora jam contendens innatâ quadam animi propensione Arti Medicæ se devovit, ad quam stimulum illi adjecisse poterat egregia, quâ Pater inclarescebat, dexteritas & in curandò felicitas, quam vix ex ephebis excedens laudabili quodam fervore æmulabatur. Commodissimam hîc occasionem suggererat manuductio B. DN. D. Tackii, Archiatri Hassio-Darmstadtini & Profess. Güsseni Primarii, qui tunc in Aulâ Principali versabatur ipsique ad submissam Parentum exorationem per integrum annum cursum selectiora Physices & Artis Chymicæ principia instillavit haut vulgaria, quibus & in Theoriâ & in Praxi Medicâ semper urebatur felicissimè. Jactis ita solidè fundamentis ad Academias properabat, ut coepa jam studia urgeret & ad maturitatem altius eveheret. Primò quidem nomen dedit Inclytæ Gissenæ, quam eam præ aliis ob causam eligebat, quòd in vestibulo Artis Medicæ locatus faciliorem hîc ad interiora aditum observârit, cum in Anatomicis, Botanicis & Institutionibus addiscendis largam hîc occasionem nactus esset. Eodem enim tempore Lipsia nobis concedebat Michaelē Heilandum, Anatomicum Exercitissimum, Ulma verò B. Laurentium Straussium, qui cum Rötelio pariter Doctissimo prima eruditionis suæ specimina in Allmacherò nostrò comprobant. Sub oculis adhuc versari mihi videris, Pectus quondam Dilectissimum! quum ne

O

dies

dies quidē abierit, quin Hortum
Academiae solertia tua fatigave-
rit! Tuo adhuc sudore manant
tot plantarum myriades, in quib⁹
conquirendis olim eras totus.

Tuo & sudore madent erudita
Doctorum subsellia, quos in pu-
blicas & privatas horas comita-
bāris indefessē. Ceterum neq;
sic angustum crataugustum All-
macheri nostri ingenium, ut so-
li Patriae solo adhāresceret; quin
exacto sesquienniō in Illustri
Ludoviciana Celebres Saxoniae
Academias visitabat, quas inter
Jenam pro ulteriori studiorum
Marte seligebat. Ad Praxin
enim addiscendam animus pro-
clivis erat, cujus methodum
haurire poterat à Felicissimō
quondam, & in Academiis non
minus, quā Magnatum aulis
Celeberrimō Guernerō Rolfin-
cio, quō Ductore Generaliora
Praxeos Futura Monita adē sibi
reddidit percognita, ut ad
τὸ τέχνημα devenurus talem
se gerere potuisset, qualem de-
cet Medicum religione plenum.
Ast ne hoc quidem sine praevia
manuductione tutō & impunē
attentari posse sibi persuadebat,
cū occasio praeceps sit & expe-

rientia fallax. Adē quidem, ut
*In Cathedra multos dicant cura-
rier aegros,*

*Ad lectum paucos convalescere
malo.*

Ut ergō hac quoque in parte
sibi consuleret, allectus famā &
virtute Incluyri Medici, Dn. Fran-
cisci de le Bœ Sylvii, Lugdu-
num in Bataviam contendit,
quem cum spissā Commilito-
num catervā ad populosissi-
mum, quod istic locorum est,
nosocomium indies comitatus
Praxin Clinicam ad aegri lectum
observare, genuinas morborum
causas indagare methodoque
haud vulgari selectissima qua-
vis pharmacorum genera adhi-
bere non tam vidit, quā per-
didicit. Quae quidem solertia
ita feliciter illi cessit, ut habita
die 21. Junii anno 1672. publicē
Disputatione Inaugurali, de
Morbis Castrensibus, omnium
& Procerum & Civium Acade-
micorum applausu summis in
Arte Medicā honoribus & pri-
vilegiis donatus & in Doctorem
Medicinae more Majorum pro-
clamatus, vitae suae Academicæ
ultimum colophonem imposu-
erit. Jam benevolo ejusvis
judicio

judicio relinquo, utrum concin-
niori unquam methodo ardu-
um Artis Nostræ stadium per-
transiri possit, cujus admiran-
dum in Allmachero nostrò vi-
deas compendium. Sicut enim
ars longa, vita brevis, ita sola
methodus utrobique certum est
remedium. Sola, inquam, me-
thodus est, quâ per compendi-
um ire & intricata Artis præce-
pta solidè discernere licet. Me-
thodus est, quæ saluberrimum
pharmacorum selectum institu-
ere: Methodus est, quæ mor-
bos incurabilibus adscriptos ci-
tò, tutò & jucundè sublevare
docet. Huic ergò toto Studio-
rum cursu salutariter inhærens
Allmacherus noster, non potuit
non Praxin sibi felicissimam inde
promississè, quam bonis quoque
avibus in Imperiali Francofurtò
primum auspicatus est, quò Pa-
rentes Ejus dilectissimi paulò an-
tè abierant. Ita enim in primò
statim Praxeos exortu sese gessit.
ut ob ejus in gerendis rebus agi-
litem & medendo felicitatem
officiū Medici Ordinarii, seu, ut
loquuntur, Physicatus Aschaf-
senburgicus illi spontè sit dela-

tus, quò integrò biennii tractu
laudabiliter est defunctus. Cæ-
terum hoc adhuc in illò deside-
rari videbatur, quòd conjuga-
lis unionis vinculo solutus dul-
ci vitæ Medicæ adjutorio desti-
tutus esset. Ut enim fert ho-
minum verecundia, sequior ferè
sexus (qui Medicorum messis
est) Practicis Junioribus, in cœ-
libatu viventibus ægrè sæpè se
concredere solet. Ast huic pa-
riter incommodo faciliè obviam
ibatur, dum in Patriam reversus
anno 1675 die 29 Septembr. No-
bilissimam & omni Virtutum
genere decoratissimam Virgi-
nem Annam Elisabetham, ex
honestâ Pettmanniorum fami-
liâ oriundam, legitimò sibi ma-
trimoniò junxit, quâcum XI.
annorum spacio honorificè & ut
Maritum Christianum decet, pa-
cificè agens, VI. Liberorum
Pater est redditus, trium Filio-
rum scil. totidemque Filiarum,
è quibus unicus usq; Filiolus, bi-
naq; puellæ adhuc in vivis sunt,
reliquis DEO in primis ætatis in-
cunabulis statim redditis. Vix
cœptò hóc conjugio altera illi
vocatio obtingebat, quâ in Ar-
(O) 2 chiatrura

chiatrum Illustrissimorum Comitum in Wertheim hujusque Civitatis Physicum Ordinarium adscisciebatur. Quò quidem officio per integrum decennium ita laudabiliter est defunctus, ut Magnatum Gratiam, Civium admirationem, omnium denique applausum brevè sit lucrat; quem fufis etiam lachrymis satis comprobârunt, cùm trienniò jam elapsò Franconiâ excederet, & aliorum desideriiis Francofurtum revocatus Wertheimensibus suis valediceret. Quùm enim navali hinc cinere abiturus Mœnum confcenderet, agmine factò Cives concurrebant, gemitibus aërem, lachrymis navigia, votis verò inclutam Medici familiam adeò replebant, ut reciprocis utrobique suspiriis summum exinde dolorem contestati sint. Quamprimùm verò ad Francofurtenses suos rediit, Praxi statim defufissimâ & insolitâ tantum non obrutus, tantâ illè dexteritate usus est, ut non Civium modò, sed & diversorum S. R. I. Principum aliorumque Magnatum animos caperet, quorum late-

ribus indices affixus hæsit. Erat enim in illò pietas sincera, candor infucatus, humanitas & comitas inconsumpta, qua non parium modò amicitiam, sed & Magnatum gratiam facillè merebatur. Recuperaverat sic in Allmacherò Illustre Francofurtum, quod in Divinijam Schefferi obitu perdiderat, cujus vestigiis in Praxi æquè ac communivirâ insisteret, ita, ut dubitaveris, uter alterutrum pietate & candore superârît. Recuperaverat in eò S. R. I. Academia Naturæ Curiosorum (in cujus consortium jam Anno 1679 receptus erat) quem in B. Schefferi locum pro Adjuncto renuntiaret: quo quidem officio adeò nihil prius habuit, ut omnem ad ejusdem incrementa lapidem moveret. Deus immortalis! quàm cordatus erat & quàm expeditus, eum paulò ante obitum, Totius Academiae Curiosæ nomine coram Eminentissimo atque Reverendissimo Principe Electore, DN. FRANCISCO ANSELMO Archi-Episcopo Electore Moguntino &c. &c. compareret.

& subjectissimâ devotione Grati-
am Ejus & Clementiam in
Totius Collegii partes exoraret.
Quod adeò feliciter illi cessit, ut
non universa modo Academia,
sed & aliquot in specie membra
Eminentissimi Protectoris nostri
Gratiam reapse sint experta,
quam subjectissimâ modò grati-
tudine devenoror. Nondicam
de aliis à Beatissimo Collegâ
præstitis officiis. Loquantur hâc
observationes ejus in Miscella-
neis Germanorû conspicuæ! Lo-
quantur comœrcia literaria cum
bene multis Academiæ mem-
bris instituta, è quibus filiali
prorsus amore deperibat Præ-
sidem Nostrium, Per-Illustrem
Dn. Volckamerum, cujus tanto
flagrabat desiderio, ut ejus vi-
dendi gratia peculiare iter No-
rimbergam versus meditatus
fuerit, cum votis secundis tri-
stem simul viduitatis solitudi-
nem illuc permutandi animus
hæreret. Ast ô spes hominum
fragiles! O fallacia consilia!
Hæc enim tunc maximè cogi-
tantem morbus gravis & mali-
gnus occupavit & quidem eò
ipsò, quò Conjugem suam, ex
simili affectu surreptam deplo-

rabat, annò. Quò autem ille
animò morbum sævientem, quò
mortem certam jam & immi-
nentem tulit! quot quantasque
moribundus animi verè Christi-
ani significationes dedit? Quâ
submission animi peccata sua
confessus eorum sibi veniam à
DEO dari petiit! Qua venera-
tione sacrosanctam Eucharisti-
am excepit! Quibus omnibus
jam armatus & munitus, cum
totò morbi tempore mentis suæ
compos fuerit, nihilque aliud,
quam Christum, Christum,
Deum suum in ore perpetuò ha-
buerit, ad eum, quem sperabat
unum, cui fidebat uni, ut quidem
speramus & cupimus in mediò
ætatis vigore, anno sc. XXXVIII
evolavit. Sed quid Academia
Nostra, cui Te, tanquam Mari-
tus uxori, desponderas, Anima
Beatissima? Quid pupilli Paren-
tibus orbat? Quid tot ægro-
rum myriades, qui Te, tanquam
Phœbum tutelarem veneraban-
tur? Quid Amici, quos mœstos
reliquisse atque tristabundos? O
desideratissimum omnium bo-
norum pectus! ad Nos redi, si
fieri potest, redi!

*Ast quid ego votis plusquam pueri-
libus opto,*

*Qua nullus nobis fertq; feretq;
dies?*

mur, quam gratâ tamen memo-
riâ recolemus

- - - dum spiritus hos re-
get artus!

Scilicet illuc abiit, unde ne-
gant redire quenquam. Feren-
da igitur sunt animò pacatò, quæ
mutari nequeunt. Hoc unum
adhuc superest, ut TE, Virorum
decus, lugeamus, non quòd ma-
le Tibi evenerit, cùm abiisti:
Beati enim, qui in Domino mo-
riuntur, requiescunt namque à
laboribus suis & opera eorum
insequuntur Eos; sed quod Nos
tam anxie excruciat, & quidem
meritò, quòd Tua in morte tan-
tum amicitia naufragium patia-

Vale, Collega Conjunctissime,
Medicorum Coriphæe! Vale
Decus Academiae! Civium De-
siderium, Collegarum Delici-
um, Agrorum solamen, huma-
nitatis exemplum!

Vos autem, PROCERES
ACADEMIÆ, in medium
consulite, quòd tanti Viri iactu-
ra tempestivè refarciri, Sarraque
conservari possit Societas DEO
Proximoque Sacra, cui prospe-
ros rerum successus, incremen-
tum atque perennitatem voveo
sempiternam!

Gissa - Hassorum Calend. Septembr.

Anno 1688.




COR.


CORRIGENDA.

<i>Pagina.</i>	<i>Columna.</i>	<i>Linea.</i>	<i>Sphalma.</i>	<i>Correctio</i>
3	1	20	his	hiscæ
30	2	9	quorum	quarum
52	1	22	cognitionis	cognitionis
64	2	17	inviolata	inviolatæ
65	1	15	Chymica	Chymicæ.
71	1	16	præmineat	promineat
73	2	26	qui	quæ
88	1	20	adstantiam	adstantium






CN



1637

30273



25-

